ΣΥΝ ΘΕΩ.

HOMONYMA
ET
SYNONYMA

LINGUÆ LATINÆ CON-
JUNCTA & DISTINCTA.

Quorum pars hæc prior de Homon: Jocoseria nunc in Lucem prodit; Ordine justo disposita, & Carmine facili composita; in tyrunculorum usus Monosticho, in provectiorum gratiam Epigrammate.

Ex Otio & Opera
HENRICI EDMUNDI ab
EDMUNDO.

Edat *quæ nova sunt*, Virga Aronis *Liber esto*:
Vel Veteres, Serpens Mosis *ut alter*, edat.

OXONIÆ,
Typis W. H. Impensis *RIC. DAVIS*,
Anno Dom. 1661.

LECTORI ERUDITO. S.

LIbellus hic primus in lucem prodiens primùm adorat Patrem Luminum. Primogenitus enim nondum adultus & adhuc Infans coram Deo sistendus est. Puerulos scimus, Puerilia confidimus Divinis amplexibus accepta. Illi certè & Primitiæ debentur & Decimæ, & initia Operum & Complementa. Lector Benevole, *si quid in hoc opusculo sit quod prosit, gratias mecum agas velim Deo nostro Opt. Max. qui ad hæc & id genus alia non frustra invocatus & animum dedit, & Indolem, & Auxilia, & Tempora; qui Me Peccatorum Maximum, Sanctorum ut & Eruditorum vel minimum vel nullum, in perturbatis olim Temporibus, Solatio & honore dignatus est Instrumenti qualiscunque in Publicum benefici.*

Hæc præfando, Lector, non magna vellem expectanda; nec aliquid præter Gratiarum actionem Divino dignum Nomine. Nihil nobis ipsis arrogamus, nihil in Opere humili honorificum. Linguæ, quarum ut una sola ediscatur, unum hoc solummodò non unicum exhibetur Adminiculum, sive adminiculorum Præludium; Linguæ inquam Fenestræ tantùm sunt, quæ Rerum intromittunt lucem, omnium equidem latissimè Lingua Latina. Totum, quod nobis tribuendum, est pro Fenestris ligneis nos substituere velle vitreas; quò clariùs & absque aëris molestiis jucundiùs introducatur lumen. In hoc Labor noster versabitur, ut alii in Linguis minùs laborent, ut suum melioribus Tempus detur. In hoc Conamine non actum agitur, sed peraguntur peragenda. Qui ante nos fuerunt, in Latina Lingua multa licèt egerunt, non peregisse argumento est nupera quamplurium, novissimè maxima I. A. Comenii Viri Clarissimi Diligentia; qui cum Magna præstitit majora promittit; & quamvis exquisitissimum Opus Januam Linguarum perfecit his exquisitiora

tamen se videre prædicat. Ego haud ita pridem hanc Spartam nactus, Tractatulum de Homonymorum & Synonymorum Differentiis inter prima aggressus sum: opúsque hoc, quod sub initiis non infeliciter procedere compertus sum & per manus crescere, ad absolvendam incitabar. In Synonymorum Differentiis Ausonii Popmæ & Sociorum conjecturis & judicio adjutus fui; *Sed ut quod res est dicam absque maledicendi studio, Authores illi (ut est facilis & proclivis in his lapsus) fidem nostram in aliquibus fefellerunt, & in cæteris suspendunt. Error autem in his eò pejor est, quod Differentiæ illæ magistraliter traditæ ad delectum Verborum Regulæ munus præstare præ se ferunt, quæ si incurva fuerit tales futuræ sunt & omnes Lineæ per illam traductæ; Quare ne Errores transmittantur hæc consulto prætermissa sunt, donec Severiori subjiciantur examini. Alia etiam ob oculos & in manibus habentur Auxilia; & aliqua eorum Specimina passim hic inspersa sagax percipiet Lector: sed quorum me Debitorem fateor, Sponsorem non polliceor:* Propriis enim privatus vix promissis stabit ut persolvat Debita; nec ab illo qui Necessariis destituitur speranda sunt Magnifica: Animi interim circa hæc occupati, & erga *P*ublicum Scholarum Bonum bene affecti fidem dabit & pignus, donec felicior detur occasio, hoc quod de Homonymis præmittitur Opusculum, cujus consilium sic accipe.

*P*rimò Homonyma hic apellantur, non solùm quibus Nomen commune, & quæ sub una voce multa significant, cujus generis pauciora sunt; sed & sub hoc titulo, quoniam aptior non occurrit, illa omnia comprehendere volui, quæ voce consona sunt & similia, si eadem & significatione sint diversa, vel significationis convenientia non sit satis manifesta. Similitudo autem in his ut in aliis sæpissime seducit. Simulatæ urbium Merces Rusticos fraudantur: *S*imulatæ à Politicis Species & Prætextus Boni publici, &c. Vulgo Hominum imponunt: simulata Sanctitate simpliciores falluntur: in aliis plurimis simulatio per similitudinem decipit, dum similia eadem esse creduntur. Hic, ut in Aucupio Aves, vocum similitudine incauti capiuntur; & ex pluribus vocibus similiter sonantibus, illa quæ primò men-

tem,

tem possedit locum & sensum usurpare solet reliquarum unde, dum scribitur, vocabula assumuntur à Re multum distantia, solum quod consona; unde & Authorum Sententia, dum legitur, vel non in totum intelligitur, vel alio pervertitur. Huic incommodo occurritur, & cum commodo insuper succurritur; Homonymis hisce ita concinnatis, ut quæ dum confusa mutua sibiipsis fuerunt Impedimenta, jam composita mutua facta sunt Adjumenta: ita Distincta, ut uno intuitu discernantur; & ita conjuncta, ut unà Memoriæ mandentur, advocatâ in memoriæ auxilium phantasia.

Fateor quod satis notum est alios hoc argumento mihi præluxisse, & Jesuitarum januam in Appendice de Ambiguis, & Carmina quædam circumforanea: sed ut nil aliud dicatur, paucula ista non satisfaciunt, ubi justum volumen desideratur. *Si*quis vero Reliquias hasce veneretur, sciat per me liberum esse, ut nostris addantur. Quæ ab aliis mutuamur, suos agnoscunt Dominos. Qui vero Figuras Dictionis minoris æstimant, sciant & aliis illas in deliciis haberi, præsertim has Antanaclases & Paranomasias. Martialis sæpius vocum ludit amphibologia, ut noster observavit Farnabius. Nec Owenus solum easdem affectâsse videtur, qui ab exteris Martialis audit Britannicus; sed & Emmanuel Thesaurus, qui à suis Ingeniorum Phenix æstimatur, neq; Epigrammata tantum aliaque Poetica, sed & Apothegmata non raro, proverbiorum complura, Joca item & Facetiæ illam qua multis placent gratiam Homonymis debent; & venustatem illam quam in alias linguas translata perdunt, in propria & nativa lingua semper retinent. Nobis itaq; non absque auctoramento in his lusibus nostro licebit obsecundare Animo; ne dicam ut mæstiora fallere Tempora, splenis vitium corrigeres, Peregrinationum tædia aliaq; incommoda Hilaritate condire: sed Delectationem hanc volumus utilitatis invitamentum, & cupimus & speramus ut hæc placendo prosint.

Itaque, quod ad Modum tradendi hæc Homonyma, Carmen elegi; quia major est Carminis Illecebra; majus etiam est ex Carmine memoriæ subsidium; sed & Syllabarum inde Quanti-

tas dignoscitur, unde plurimorum ex Homonymis fit distinctio. Carmen autem minus quàm pro voto elegans licet alii excusarent, quod sc. Vocabula illa, quæ in hujusmodi Scripto locum vendicant, Socios sæpe suos in angustias trudant; alii etiam præcipue in hoc genere, facilitatem laudarent, mallem tamen propriam imperitiam fateri, stylum à tyrocinio usq; inexercitatum ipse, & Musam nunquam fæcundam, nunc effætam; Gratias illis acturas, quicunque calamo magis polito vel nostra corrigere vel sua dignabuntur substituere; Non enim id agitur, ut Famæ consulatur privatæ, sed publico Scholarum beneficio.

Quod ad Methodum, ordinem Alphabeticum ut nimis confusum ad Indicem rejicimus. Methodum illam secuti sumus, quam secundum Differentias Homonymorum Grammaticales excogitavimus, ut argumento præ manibus, & usibus insuper Scholasticis maxime consentaneam.

Denique, quod ad Rerum Medullam, & Materiam, ut loquuntur, substratam; primo illud objiciendum occurrit, quod pueris submittantur aliquoties, quæ viris sunt digniora &c. hanc vero seriam severiorum censuram (nam publicam reprehensionem non capit, in quo publice peccatur) revereor & deprecor: fateor me quidem meipsum non penitus exuere posse; quin & Verborum carcere coercitus me liberum non putavi, nisi in Rerum Campos & montium Prospectu quandoque liceret exspatiari, sed ne opus sub prela turgesceret has digressiones amputavi Curavi sane ubique ut monita sint non inutilia, & in monosticham ferè vel Disticham totum coegi.

Sed sana; & quæ cum Imaginationem excitent, non polluant tamen: religiose sollicitus uter minimum pravitatis insinuetur, & ne mentium puerilium Charta purior vel Fabulis infletur, vel vitiis maculetur; sed ut vulgaria vitia odiosa sint, Errores ridiculi; in summa, ut nativa sint mnemonica & salubria, & quæ aliquid vel in Rebus doceant vel vocibus.

De hujus operis fructu judicet experientia; ipse nihil pronunciare possum. Acicularum cum minimum censebitur congeries,

geries, quæ res cum vocibus eo aptius infigant memoriæ: recogitabit etiam prudens qui pertractavit Lector, quanta pars Linguæ Latinæ eáque maximè caliginosa ex his elucessit. Mihi in votis est, ut tantum aliis accedat Fructus, quantum mihi constitit laboris; quem siquis leviorem æstimet, periculum ipse vel ex Indice præfixo faciat, vel in iilis quæ à nobis omissa deprehenderet; & vel veniam æquius indulgebit nostris, vel felicius Ingenium excutiet suum. Orandi sunt Eruditi, si non Industriâ, confidentiâ saltem nostrâ fidentiores facti, (nobis enim probè conscii sumus, quàm in angusto versentur & captus noster, & scientia, & Suppellex literaria) orandi sunt inquam, ut missis contentionis & ostentationis studiis, spretis nihil dignius agentium censuris, quicquid ipsi utile excogitârunt, in publicum proferant; Singuli vel Singula; hujusmodi enim mercaturâ narrant Jesuitæ ditescere Rempublicam literariam Digna sane hæc Institutionis Scholasticæ *P*rovincia, quæ à dignissimis incolatur; & quæ, ut *Pl*antationes & *C*oloniæ Novæ, adminiculis iisque optimis maximè indiget: dum enim tractantur hæc & his similia ab Eruditione Judicio & Experientia minus valentibus, nostrique similibus; Remediis usque laborabitur æquè ac morbis. Tu interim (candide Lector) quod pro viribus conatus sum boni consule; & donec impertiantur meliora, his mecum fruere. Siquid vero Tibi Tuisve accrescat exinde beneficii, illum apud Deum precibus adjuva, qui Tibi & Illis nihil minus à Divino exoptat Numine, quàm Optima & Optatissima.

Henricus Edmundson.

ſtales, quæ rationem vocibus eo genus infigant memoriæ; re-cognoscet etiam, sciens qui perlustravit Lector, quanta ma-linguæ Latinæ, eaque maximè caliginosa, ex his elucescit. Mihi in votis est, ut tantum aliis accedat Fructus, quantum mihi constiterit laboris; quem siquis is pretio æstimet, perpendat ipse vel ex Indice prævio faciat, vel in illis quæ a nobis omissa de-prehenderet; & vel veniam æquus indulgebit errantibus, vel fel-icius Ingenium exercitet suum. Quando sunt Eruditi, si non In-finiti, consentientes fatear, nostri diligentiores facti, (nobis e-nim procul contenti sumus, quam in angusto versantur & captus noster, & scientia, & Suppellex literaria) orandi sunt inquam, ut mihi correctionis & observationis studiis, operæ pretii dig-num agentium censuris, quicquid ipsi unde exsequuntur, in publicum proferant; Singuli vel Singulæ; hujusmodi enim mer-curiæ narrant plurimæ discedere Rempublicam literariam Dig-na sane hæc institutionis Scholasticæ Provincia, quæ a digni-tatis incolatur; & quæ, ut Plantationes & Coloniæ Novæ, ad-miniculis usque optimis maximè indiget: dum enim tractan-tur hæc & his similia ab Eruditione Judicio & Experientia mi-nus valentibus, nostrique similibus; Remediis usque laborabi-tur æquè ac morbis. Tu interim (candide Lector) quod pro viribus conatus sum boni consule; & donec impertiantur me-liora, his mecum fruere. Siquid vero Tibi Tuisve accrescat ex-inde beneficii, illud apud Deum precibus adjuva, qui Tibi & illis nihil minus a Divino exoptes Numine, quam Optima & Optatissima.

Henricus [illegible].



CAPUT PRIMUM
De
VOCABULIS CONSONIS;
ex Orthographia vel Prosodia distinguendis; ubi idem vel par sonus, dispar Scriptura vel Tonus.

Æquus, Equus. I.

HOc æquum est, ut Equum bene pascas, qui bene (portat.

2

Æquus Equo sit Eques; generoso sit Generosus.

3

Servus Equo ut vectus sit, Herúsque pedester, an æquum (est?

4

Pluris Equus, Canis aut tibi sit, quàm Servus, an æquum (est?

5

Vectus Equo Pedites oculis vix aspicit æquis.

6

Vectus Equo atque Pedes pedibus non ambulat æquis.

7

Æquum ut eam pedibus, cum mihi desit Equus.

8

Æquum ut agam grates, si mihi detur Equus.

9

Haud æquum; datus ex dente probetur Equus.

10

Æquum est, ut datus ex dante probetur Equus.

11

Ignavus stimulis æquum ut agatur Equus.

12

Æquus Alexandro non nisi magnus Equus.

13

Æqua Venus Teucris, his sed iniquus Equus.

Amo Hamo }
p. 11. } huc. *Cado. Cedo* &c
Ara. Hara ib. }
Cæcus Secus ib. }

1

Cedam, ne cædar, quàm cædi, cedere præstat.

2 *ex Sch. W. & p.* 11. *bis*

Aut disce, aut discede; manet sors tertia cædi.

Cede, Sede.

Sede sede propria, nec ab illa sede recede.

Cœlo. Celo.

Cœlatum stellis Cœlum mysteria celat.

2

Se pretiosa magis cœlata hæc scrinia celant.

Cæna .Scæna.

Scæna agitur, rursus narratur Fabula Cæna.

Cætus. Cetus.

Ceto vis major, quàm Cœtu pisciculorum.

2

Immanem ut Cetum spectent, cœtus coit ingens.

Carus

Carus. Charus.

Pluris emo carum, ſed pluris & æſtimo charum.

2

Chara animo, cara & ſunt pretioſa foro.

Cenſus. Senſus.

Non ſemper potior Senſus, major cui Cenſus,
Non Animus Cenſu, non Senſu Ciſta repletur.

2

Cœpi. Cepi.

Si Tyro cœpit bene, cepit quiſque benignè

Cera. Sera.

Oſtia claude Serâ, clauſa eſt & Epiſtola Cerâ.

Cervus. Servus

Expedit ut Cervus, celeri pede nuncia Servus.

2

Servus ſervito, vel quàm citò Cervus abito.

Chorda. Corda. p. 13. ib. Ciſer. ib. } *Concilium. Conſilium.*

Conſilium ſanum eſt à Concilio ſapientum.

Deligere. Diligere. *D. Rob.*

Deligito inprimis, delectum dilige amicum.

Deſertus diſ. pag. 13. } *Dicitur. Diſcitur.*

Diſcitur id liquidò, liquidò quod dicitur.

2

Dicitur haud nimium, quod non ſat diſcitur unquam.

Hora Ora p. 14.
Hortus Ortus.p. 14. } *Iter. Itur.*

Carpe viator iter; rectà, nec flectitur, itur.

Mæreo, Mereo vel *mereor.*

Mærendum est de aliis bene, sed mala ferre, merentem.

Nothus. Notus.

Notior ignoto Nothus est Patre atque notatus.

Obolus. Obelus.

Scripta indigna obolo digna putes obelo.

Ocior Otior.
14. } *Quæstus. Questus.*

Non plenis quæstu loculis, loca questibus implent.

Reditus. Redditus

Redditus ex reditu redit Heros ditior urbem.

Sæpe. Sepe.

Seps tibi sæpe latet sub sepe, atque anguis in herba.

Sæpe. Cepæ, vel *Cepe.*

His condimentum sæpe, his & edulia Cepæ.

2

Sæpe horto ac mensa Cæpe videre licet.

Volvi. Volui.

Quæ valde volui, in somnis & nocte revolvi.

Acer Equus campis, in memore extat *Acer.*

Ara Deo falso dedita pejor *harâ.*

Aras tu colis, & tu colis id quod *aras.*

Aret ager, non est hìc quòd arator *aret.*

Carò emitur data vel rapta ferina Caro.

Cerâ literatas, ostia claude *Serâ.*

Colat

Colat qui fæces, munditiem ille *colit.*
Corus ubi eſt, erit & *turbo*; ubi *turba*, *Chorus.*
Comis qui fuerit, ſit tuus ille *Comes.*
Comas quotidie pectine compte *comas.*
Dedit ſeſe hoſti, qui ſua terga *dedit.*
Dico Patronum, cui mea ſcripta *dico.*
Duci errore aliquo maxima culpa *Duci.*
Edis clamores, quando deeſt quod *edas.*
Fama bona impinguat, ſed mala fama *fames.*
Feralis non eſt virga, aliquando *fera* eſt.
Fidéſne? at videas, cui ſit habenda *Fides.*
Freta quiete nec eſt Terra, nec ipſa *Freta.*
Heros Aſtrum aulæ, Sol tugurî ſed *Herus.*
Humor fæcundam gramine reddit *humum.*
Idem eſt cum vulgus, tunc quoque vulgus *idem eſt.*
Labor, ſed redimet lapſa priora *Labor.*
Latus ager, longum eſt undique quandò *Latus.*
Legat Rex fidum, qui ſua juſſa *legat.*
Lege Dei primùm, deinde profana *lege.*
Leges fac vitæ, quæ tibi juſſa *leges.*
Levis erit manus huic, ſi ſit opella *levis.*
Librâ non pendo, pondere pendo *libros.*
Liber ab exilio, carcere, morte *Liber.*
Mala mihi dicunt, vix ego credo, *mala.*
Manè veni, donec fas erit ire, *mane.*
Nota ſignato cuncta notanda *Notâ.*
Notus, ſed turpi eſt ex Genitore *Nothus.*
Places inſenſos, pacificíſque *places.*
Plagæ ſufficiunt tot, quot in orbe *Plagæ.*
Plagas crudeles nolò, dolíve *Plagas.*
Populus in Sylvis, inque Foro *Populus.*

Potes cum validè, tu tibi mira *potes*.
Refert permultùm, quid vaga fama *refert*.
Regi an subjectus nescius ipse *regi*?
Regis honos tibi erit, si tua téque *regas*;
Regia cui Domus est, Fundus huic *Regio*.
Regula recta regit, *Tegula* tecta tegit.
Rudit Asellus, & est vociferando *rudis*.
Rudera sunt cumulus congeriésque *rudis*.
Sede tua; qua te mando sedere, *sede*.
Serò meto sata, si seriùs illa *sero*.
Serum & postremum est cernere lacte *Serum*.
Scitu digna negant segnia corda *situ*.
Scitus Dux non est, ni sciat ille *Situs*.
Scitor, terrarum nescio quando *Situs*.
Solo mundanis cura repôsta *Sola*.
Tibicen cecinit dulciùs an *Tubicen*?
Tribula grana terit, plus nocet his *Tribulus*.
Vade solute, modò hæc solveris, ábsque *Vade*.
Velis & remis, quod potes, usque *velis*.
Venit merx carò, quando aliunde *venit*.
Venit spem præter, gratiùs ergo *venit*.
Verum est, nos Obelum dicere posse *Veru*.
Vici vicinos dant, & egendo *Vices*.
Vires dum durant, tu velut herba *vires*
Virus plebeiis potio rara *viris*.
Voces has Rerum signa notásque *voces*.
Voces Res tibi dant, Rem mihi, Résne *voces*?
Voces quantum est qua voce tonóque *voces*!

Idem m. & n.

Nunquam vulgus idem, vulgo duce nemo fit idem.

2

Nunquam vulgus idem, nusquam vulgus manet idem !
Et causam quæris? *Nutrum modo, Mas modo vulgus.*

Venimus. Præt. & Præs.

Venimus ad metam, pedetenti illóque venimus :
Nulli per saltum ad summa venire datur.

Nonus à Novenus.

Carmine producta est τῷ Nonus syllaba prima :
In promptu causa est * vox quia contrahitur.

* *Quæ causa obtinet in* Denus, *& aliis pluribus, ut* Jumentum *quasi Juvamentum vel Jugamentum,* Junior *quasi juvenior,* fomentum *q. fovimentum* momentum *q. movimentum,* Tribula *q. teribula,* stipendium. *q. stipipendium. Vossius.*

Flagellum à Flagrum.

Fecit flagitium, ferat flagellum;
Justè crimine flagitante Flagra.

Pugillus à Pugnus.

Quàm pugni brevior nostri mensura * Pugilli.

* Pugillus *ut &* Flagellum *à longa primam habent brevem ob omissionem literæ: sic in ejusmodi aliis,* tigillum *à tignum,* mamilla *à mamma,* ofella *ab offa,* curulis *à curro vel curru,* disertus *à dissero, &c. Vossius, Gram.*

Derivata à *Fido* & *Fides.*

Ni sit nota fides, peregrino non bene fides.
Perfidus infidus, Fiducia magna fideli.

Lucerna à luceo. Laterna à lateo.

Laterna conclusa latet lucétque Lucerna.

Sunt

Sunt autem quàm plurima longa è brevibus. & brevia à longis enata, sed quæ vel inter Etymologica, vel alibi disponuntur, ubi discrimen existit etiam solutæ orationis scriptoribus cum Poëtis commune.

EPIGRAMMATA JOCO-SERIA.

Amo. Hamo.

Qui dat, ut accipiat plus multo, non amat, hamat:
(Ut pisces capias, piscibus esca datur.)

Ara. Hara.

Templa suo *vasta* aspicias *vastata* decore,
Et causam quæris qua *facie faciunt*?
Inter *Haram* atq; *Aram* discrimen Litera sola,
Litera non est H, Litera nulla facit.
Tu, qui sic fecere, Manum non hisce negabis,
Sed non ædificat, diruit ista Manus.
Hos qui sic dicunt, nec & Os habuisse negabis,
Hos tamen, *Os* præter, dixeris esse nihil.
Et causam quæris? discrimen litera sola,
Litera non est H, Litera nulla facit.
Atq; His detur Honos, discrimen Litera sola
Inter Honos & ὄνος, Litera nulla facit.

Cæcus, Secus, Cæcum, Secum. --- Indoctus docet
Haud secus ac cæcus cæcum vult ducere secum:

Cædo Cedo.

Ut cedam, gratum; ne cædar, & hoc mihi tutum.
2. Cedere quàm cædi placet huic magis & mihi præ-
(Vim venti Quercus, non & Arundo timet.) (stat.

3. *Ex Emman. Thes.*

Arbiter en Mundi, cui stat concessa Potestas
In Reges, (magnis pœnáque magna subest)
Jesum hic proscripsit, ne Herodem perderet: (illi
Est Gnati, est Regis chara, malíque, salus.)

Hinc

Hinc documentum insigne, Tyrannus ut excutiendus:
Cedere non licet huic? cædere non licet hunc.
Hoc superest, secede, recede: & sic tibi Damno
Absque suo, vitio consulis absque tuo.

Emman Thesauri Patr. Maria. hæc verba sunt de fuga Christi in Ægyptum—Sic rerum Arbiter, ne Tyrannum perderet, Filium proscripsit, Insigni documento, excutiendos malos Principes, Non cædendo, non cedendo, sed recedendo.

Charus. Carus.

Chara Fides quondam, sed non ideo quia cara;
Chara Fides nunc est, est quia cara Fides

Census. Sensus.

Qui nimio Censûs sensu tanguntur adepti,
Cum Censu his sensus consiliumque fugit.

2 in divitem novitium.

Qui Censu augetur, Sensus amittere cœpit;
Nec notos novit, nec videt inde suos:
Non vetus est in honore novo sibi fidus Amicus
Agnitus; haud credo cognitus ipse sibi.

Cera. Sera.

Cera Oculos retrahit chartarum arcana petentes:
Reprimit infidas & sera fida Manus.

2 J. H.

Ut Clavis Portam, sic pandit Epistola Pectus:
Clauditur hæc Cerâ, clauditur illa Sera.

Certus. Certo. Sertum.

Tu certas, tibi nec certum est à Numine Sertum:
Cœli ego sed Serto quo *potiar, patior*.

Chorda. Corda.

Corda movet, penetrat quoque musica Cordula pectus:
Si *plectro* nervos *plectere* gnarus eris.

Chorus. Corus vel Caurus.

Aera cùm fuſcat pluvioſo frigore Corus,
Cantorum reddit tecta ſerena Chorus.

Cibi. Sibi. Bauhuſii.

Is bonus eſt *Medicus* ſibi,
Qui fuerit *modicus* cibi.

Cicer. Siſer vel Siſarum. κίσαρον.

Deliciæ Cicer es Pecori, minimúmque Legumen:
Radix parva, Hominum deliciæque Siſer.

Deſertus. Diſertus.

Roſtra Diſertus amat; deſerta at Roſtra diſertis:
A *Raſtris* nunc ad *Roſtra* venire licet.

Hora. Ora.

Non horam ſignans numerus deſcriptus ad oram;
Nec Solaria enim quid ſine ſole valent.

Hortus. Ortus.

Congregat has Hortus plantas, quarum ortus ab extra;
Flore Agros, Sylvas & *violat violis.*

Lyra. Lira.

Quidnam urbana ſonat Lyra, *lir lire* præter inane?
Ventres non Aures ruſtica lira fovet.

Nectare. Nectere.

Non fruſtratur Apem ſperato Nectare Cœlum;
Sedula dum cellas nectere cura ſibi.

2

Docta ſuis telis an Aranea nectere fraudes,
Dulciùs anne Apis eſt Nectare paſta Dei?

Nothus. Notus.

Labe Patris Nothus eſt, miſeréque notatus:
(Vix amat hic Gnatum, vix colet ille *Patrem.*)

Ocior.

Ocior. Otior.

Otior? at cursum peragit Sol ocior Euro:
(Dormio? mundi Oculus dum micat usque vigil.)

Luterna. Lucerna.

Est Laterna latens Sapiens, lucénsque Lucerna:
(Námque aliis lucet, sed latet ipse sibi.)





CAP. II.

De Homonymis ex Etymologia distinctis; quæ scilicet ex diversa origine in idem incidunt Vocabulum.

Æra.

EST Æra annorum: nummus sunt Æra vel Arma.

Adamas. p. 19.

Amari.

Pulchrum & amare, & amari; ubi nil accedit amari.

Dedit.

Qui genio dedit se, seque suo dedit hosti.

Diffidit. p. 20.

Dispare.

Apparet, facie & disparet dispare Luna.

Edo. simplex & comp.

Accipit intus edens, aliquídque extra exserit edens.

2

Edit Apes bombos, sed tibi dat quod edas.

Esse. à Sum, & ab Edo. & p. 21.

Si nucleum cupis esse, nucem fractam esse necesse.

Est. Vet. Voc.

Quòd Lupus est agnum, non est mirabile magnum.

Egerit. p. 21.
Forte ib. Expers ib.

Fretum.

Anne Solo fretus solido Freta sanus oberrat?

Gallus

Gallus.

Impetus, ut Galli, primus certamine Galli.

Primus impetus major quàm virorum, sequens minor quàm fœminarum. Florus.

Incido à Cado & Cædo.

Incidit in foveam, dum incidit falce viretum.

Innubis. Innuba.

Innubis quasi vere dies est innuba virgo.

Insomnis 2. p. 22. Invisus &c. ib.

Irritus Irrito.

Interest. p. 23.

Irritus Irritas, sua quem patientia firmat.

Justitiam p. 23.

Labrum.

A lavo vas labrum est, à lambo margo fit oris.

Mane.

Usque ad mane mane. Vox hospitis illa benigni.

Merces. p. 23. Novi bis ib.

Nubilis. Nubilus.

Nulli. p. 24.

Nubilis haud nubat, si tempora nubila cernat.

Oblitus. p. 24. Occidit. ib.

Occido. Abscidit.

Occidit, heu Justus, pius hunc qui *occidit* habetur;
Tinctus Regali *Sanguine Sanctus* erit:
Abscidit Regi, Regno Caput *abscidit* Ense;
Hæc Martem placant Sacra nefanda Suum.

Pateris.

Nil pateris fœdum patinis paterísve patere.

Pernix. Pernio. p. 24. Pone. Porro ibi. } *Potes.*

Cuncta potes, vel posse putas te, si bene potes.

Potior.

Quo sitiens potior, potior non potio pota.

Refert. à re & fero & à res fert. Glow.

Pluribus ille refert, quæ non cognoscere refert.

Reus rei reor. p. 25. } *Securis. Securus.*

Securúsne, cui impendet cervice securis? & p. 25.

Serius. p. 26. | *Sine.*

Dedecus hoc patiens sine, quod fuerit sine damno.

Senex. Senus.

Ille Senex, annos numerant decies cui senos.

Sentis.

Ut primùm tangis, sentis quoque sentis acumen.

Sero.

Serò æstate sero, mihi sunt sata quando metenda.

Sitis. Situs p. 26. Suum, ib.

Lympha dabit, cupidi ni sitis, quod sitis optat.

Tenui p. 26. | *Teneri.*

Me juvat oris Equus teneri, facilísque teneri.

Vulgare

Vulgare.

Nil vulgare ſolent clari vulgare Magiſtri.

Vade.

Reſpondeto vadanti, & cum Vade vade ſolutus.

EPIGRAMMATA.

Adamas.

Non adamante Adamans, Adamas adamante probatur.
(Munera ſunt, Autor quæ precioſa facit.)

Banhuſii.

(Ecce Homo, qui pro me moritur, nec defleo crimen:)
O pie Chriſte quis eſt, quem tu adamas? Adamas.

Adeo. Eo.

Templum adeo ſupplex, adeò mihi ſacra verenda:
Itur eò, atque lubens huc eo quando licet.
Quæque in eo doceor, pia, *dia*, in ſecla, *diuque*.
Extendunt, nocte & ſunt meditanda *die*.

Aggere. Hugenii.

Aggere concluſos quiſquis poſſederit agros;
Aggere, perpetuò qui ſibi dicat, habet.

Ave.

Illa domus ſtabilis, cui *propagata Propago* eſt;
Quando ſalutat Ave, quando Ave ſæpe Nepos.

Comparo. à par & à paro.

Qui paribus jactans ſe comparat; hic parat impar
Dedecus, & compar comparat ipſi odium.

Conſpirare à Spira & Spiro.

Conſpirant Angues, conſpirant turbine venti;
Nec minus in Reges impia turba ſuos.

Contentus

Contentus. à Contineo & Contendo.

Contentum propriis rarò Contentio vexat,
Propria * contento vix cupit ille animo.

* *Intento vehementi.*

Nec loculis contenta magis sunt invidiosa
Vicinis, quàm quid continet Indus opum.

Cubitum. Hugenii

Ni lectum bene pransus amas, dormire sedendo est:
Qui cubitum non vult ire, eat in Cubitum.

Diffidit. à Fido & Findo.

Diffido meritò, cui pectus diffidit astus:
Lingua cui bifida est, bis neque fido viro.

Edo.

Stercus ubique suum spurcus solet edere Porcus;
Turpior hoc hominum stercora Porcus edit.
Dicere quæ puduit scribunt obscæna Poëtæ;
Optandum est hos nil edere quàm quod edant.

2: *Oweni.*

Paupertate mihi sic imperitante coactus
Sum libros ego nunc edere, tunc edere.

Esse.

Non nobis datur esse propter esse,
Sed nobis datur esse propter esse,

2

Ad vitam esse recogito necesse,
Absque esu quoniam datur nec esse.

3. *Hugenii, de extinctoe x er apula.*

Non esse quòd non esse fecerit multos,
Non est stupori; hoc esset, esse qui non est.
At me, Viator, qui nec esse credebam

Non semper esse, fecit esse non esse.

Egerit, à Gero & Ago.

Egerit & stomachus fæces, & digerit escas.
Gaudes, cum binum hoc egerit officium.

Exilium Exsilio. Hugenii.

Exilium est patriam prohiberi tangere terram?
Ecce dedi exsiliens memet in exilium.

Expers. Expertus.

Artis an expertem, expertum an fore præstat in Arte,
Tunc, nisi serò, scies, cum vagus exul eris.

Eversus ab everro & Everto. Luc. 15. 8.

Ædes everrit mulier Monachus legit, Ædes,
Evertit; Miles, quod legit iste, facit.
Ast ait hic; Everro domos, purgo atque reformo,
Sic planè eversas comperiere domos.

Forte.

Ipse sibi Fortis Fortuna, in utrâ nque paratus:
Quæ tibi fortè cadunt, forte erit illa pati.

Gallus.

Gens hæc dicenda an Gallorum Simia? plumas,
Gallorum cristas, vertice nempe gerunt.

Incido.

Acer, acutus an est, sit Momi, Mercuriine;
Incidat, refert, incidat anne, Jocus.

Indoles. Indoleo.

Dilecti indoluit prava Pater indole Gnati:
(Mærore atque metu mistus amarus Amor.)

Insaniis.

Insanis, si cum insanis solus sapiens sis:
(Qui cum his insanit, num rogo sanus erit?)

Insomnis.

Insomnis memoret, quàm in Somnis grata quies sit:
(Ingratus, quæ sunt chara carendo, fruor.)

2

Insomnem stultum reddunt Insomnia vatem:
(Plus sapit in Somnis Fœmina sæpe viro.)

Insomnia, *à*, *vigilia*. Insomnium, *inter somnium*, *quod vulgus credulum reddit futuri præscium* ; *nisi* absurdum *esset* , ut plus saperent dormientes quam vigilantes.

Invisus. Inviso.

Invisus cui sis, invise, ut fiat Amicus:
Sic conversando tibi conservandus Amicus.

Interest.

Munera & tempus puto negligentes,
Inter absentéique parum interesse:
Interesse nostrâ officio interesse.

Justitia. Justitium. Officiosè

Justitiæ nunc justitium, statio est ubi juris:
(Transpositis regnet Jus nisi literulis,)

Luxi à Lugeo & Luceo.

Luxit Anus, quoties luxit Sol, læta procellis;
(Nempe secuturas præmeditata vices:
In Pace ingratis dolor & perversa querela est:
Bellorum fatuos gaudia falsa juvant.)

Merces.

Venduntur nummis merces, emitúrque labore
Nummorum merces: Nummus utrinque valet.

Novi.

Nil sub Sole novi, nova ni sint omnia, novi:
(*Orbis* in *orbem* abeunt & vitia atque vices.)

2 *Oweni.* p.24.

Nunquid Oëne novi ? nil novi ſcilicet inquam,
Aut ſi quid novi, nil tamen aio Novi.

Nulli.

Sunt nulli nulli errores, nulli leviores,
Quàm qui ſeſe onerat, criminibúſque gravat.

Oblitus.

Oblita ceruſſâ facies oblita Ruboris :
(Simplex fucum odit, prodit & ille Color.)

Occido. Navis bellica, cui nomen *Samſon*, ſubmerſa.

Hæc navis Samſon : ſed non occidit ut ille ;
Occidit ut Samſon, nomine digna fuit.

à *cado* à *ſcidi quod* à *ſcindo.*	*Occido. Abſcidit.* 2. D. Rob.

Occidit heu juſtus, pius huic qui occidit habetur;
Tinctus Regali ſanguine ſanctus erit:
Abſcidit Regi, Regno caput abſcidit enſe,
Hæc Martem placant ſacra nefanda ſuum.
Occidit Æacides, Paris hunc occidit inermem:
Sic *cecidit* fortis, ſic imbelliſque *cecidit*.

Pernix, pernicis. *Pernicies.*

Penna ſagittarum pernicior alitis ala:
Ala citò aligeræ fert ſua perniciem.

2

Niſus avem magno *niſu* inſequitur, *niſi* martiam: p.23.
Hanc, niſi pernicem, pernicieſque manet.

Pone.

Cernere dedignans tua crimina pone repone:
Tergore nec maculam tergito, at iſta patet. *Porro*

Porrò.

Si porrum edisti, *porrò & procul* ora moveto:
Neve oleas *porrò & postea* cepe vores.

Potes.

Vincere dum potes, capiendo qui potes omnes:
Plus capiente *Cado* victus & ipse *cadis*.

Refert.

Quid refert, quid turba refert, tu turbidus instas:
Ad Famam refert, quid mala Lingua refert.

Refert. Refertus.

Quid refert, auro an sabulo sit bursa referta?
Idem utrisque usus, nullus utrisque fuit.

Reus, Rei, Reor,

Ille Rei reus, ut reor, est, qui assentit agenti:
(*Idem* Animus facit ut sit quoque crimen *idem.*)

2 Hugenii.

Quòd mala defensas opulenti jura Clientis,
Non est, Ole, rei solicitudo, rei est.

Securi.

Tu procera Abies, cum detruncare securi:
Securi Dumi, nos humilésque Rubi.

2 Hugenii, in mortem Proregis Hiberniæ

O dignus innocentiâ viri vigor!
O sub securi nobilis securitas!

Sentes. Sentio.

Sentio tractandas leviore manu mihi sentes:
(Ast Urtica urit me, nisi pressa manu.)

Serius. Hugenii.

Ultima præteritæ impendis suspiria vitæ:
Sérius hoc? certè serius, Aule, facis.

2. Haynecci.

Sero Latro ſapuit, citiùs non obtigit illi
Gratia; mî; ne ſit ſera, hodierna ſiet:
Námque licet Fidei, quæ ſeria, nullibi ſera eſt;
Quis tamen, illa ſit ut ſeria, ſerò dabit.

Situs. de Juvene mortuo.

Hìc ſitus eſt, cui Forma Decor, Decus & cui Robur:
Putidus, hic Cinis eſt, putridus hic ſitus eſt.

Suum.

Hinnit Equus, mugit Taurus, boat & reboat Bos.
Et Grunnire Suum dixeris eſſe ſuum.

Huc & trita illa, Mus currit in campis ſine pedibus ſuis,
Et illud, Nata mea Romam, ne mea nata, ſuam.

Tenui.

Navem fune licet vix craſſo ſiſtere: filo
Sed tenui tenui, ne revolaret, Avem.

Victus.

Victorum victrix, in quam rapis irritus arma,
A victu vili eſt victa ſuperba Fames.

2

Pax victu eſt fæcunda: Famem ſed Bella minantur,
Hæc Peſtem; victus ſit quoque victor obit.

Uti. è Seneca.

Fictilibus, veluti auratis, qui noverit uti,
Magnus; & Auro utens, Fictilibus veluti.

CAP. III.

De Homonymis, quæ ex Orationis Partibus distinguuntur, cujusmodi sunt Nomina & Adnomina nomina & verba, &c.

Auster. Austerus. (opto.
NOn Austrum austerum, Zephyrum mihi floribus
Creta. Cretus. Congruus. p. 34.
E terra creta est, Terra est discretáque Creta.
Cupido. Incerti.
Omnia des cupido, sua non perit inde Cupido.
Diræ. Dirus.
Pectora dira notat pro votis fundere Diras.
Dius. Diu.
Dium opus edurat Scriptore diutius ipso.
Fera. Fædus p. 36.
Dum Fera mansuescit, se negat esse feram.
Malus. Malum. Malus, a, um. Lectus p. 36.
Fructu Arbor nota est, mala Malus fert mala Mala.
2
Maxima Malorum, minimum tibi sume malorum.
Malum i. Mala æ.
In malis puerûm mala sunt immitia Mala.
Malo, mavis, &c. *Malus*, i. m.
Malo *vela velis*, quàm pandere, figere malo.
Multa vel *Mulcta. Multus, a, um.*
Multa est ditum pœna, inopum sed verbera multa.
Mundus. (Mundus.
Mundum Opus, atque Tuum est, Deus Optime Maxime,

2
Corde suo mundis quæ Mundi singula munda.

Notus.

Si notus aut Auster tibi notus, notus uterque est.

Distinguuntur enim, ut Boreas & Aquilo Zephyrus & favonius.

Nota. Notus. Noto.

Notior est Nota quæ notat, unde est res tibi nota.

2
St. quid sit nosti, Nota si tibi nota silendi est.

Proceres p.37.
Pullus ib.

Sanus. Sanies.

Ut sit sana cutis, saniem de vulnere demas.

Sera. Serus.

Sera nocte Seræ cum clavibus ostia claudunt.

Simila & is p. 37. Talus & is ib.

Vernix. (varnish) *Vernus.*

Verni rura ornant flores, atque oppida vernix.

Veru. Verus. Vereor.

Vera veru atque obelo non transfigi vereantur.

Uter. Uterus. p.38.
Caligo. Erro.
Indago. p.38.

Labor.

Deterret Labor hic, sub cujus pondere labor.

Latro.

Signa Canis latrans canit, instat adesse Latrones.

Ligo.

Ut Lictor ligat, & Mors sceptra Ligonibus æquat.

Palpo.

Palpo manu leviter; sum, si sic crimina, Palpo.

Porrigo.

Non Porrigo satis nocuit, nisi porrigat ultra.

Ales. Alo.

Mensam ipsi stratam, & quod alat quæque invenit Ales.

Amica. Amicio. Algeo.p.38.

Bellè amicitur Amica, ut vernans floribus Arbos.

Ara. Aro.

Non arat, aut gestat juga Bos mactandus ad aram.

Caro. Caries. Careo.

Lignum fert cariem, sic Caro mente carens.

Certus. Certo.

Certa magis Pax, quàm certare & cernere ferro.

Cremor. Cremo.

Igne cremata cutis lactis relevata cremore est.

| *Damnum. p. 39. ib. Facies. Facio.*

Favus. Faveo.

Est cum melle Favus, qui mihi cunque favet.

Fovea. Foveo.

Effossum è foveis fovet Aurum, ut Fomes, avaros.

Gluten. Glutio.

Strangulat, & fauces gluten glutisse recludit.

Halec. Halo.

Halec non halat, non terra aut aëre nata.

| *Hortor. p. 39. Incitas Incito ib.*

Instar.

Instar. Insto.

Conscia mens instar rabidi Canis instat & urget.

Invitus. Invito.

Invitus Festum, non Invitatus, adibis.

Jura. Juro.

Jura Dei atque Hominum conculcas perfide jurans.

Libum. Libens. Libo.

Libum libo libens, res sunt Bellaria bellæ.

Liceor. Licet.

Inde meum esse licet, licet illius, unde licetur.

Linum Lino. p.40.
Luxus Luxi. ib.

Meta. Meto.

Quas metit, in metas Messor mox exstruit herbas.

Mica. Mico.

Cui nec mica Salis, micat instar Solis.

Modus. Modo.

In medio atque modo virtus: Rectum est, modò rectè.

Mutus. Muto.

Commutant muti, vocum vice, mutua signa.

Navis. Navo. Navus vel *Gnavus.*

Nauta operam navat gnavè, si navis agatur.

Oculus. Occulo.

Occulitur, quod non oculis exponere fas est.

Officium. Officio. Ode p. 40.

Officii satagens proprii non officit ulli.

Oleum. Oleo.

Hoc Oleum potius, quod nil olet, eligit emptor.

Ora.

Ora. Oro.

Te, Deus, oret, adoret ab oris omnibus omnis.

Ordo. Ordior.

Exitus est felix, quando ordior ordine certo.

Ovum. Ovo.

Ovum cum peperit Gallina, ovat atque triumphat.

Pandus. Pando.

Ecce crucem pandit de tergore pandus Asellus.

Papa. Papæ. Hugenii.

Papicolis est pro Numine Papa. Pape!

Pater. Patro.

Patrat, qui sceleris Pater est. & p. 41.

Pensum. Penso.

In lecto tu de penso pensato diurno.
De penso pensare juvat lucem ante diurno.

vel

Pensant prudentes de penso nocte diurno.

Perdix Perdo p. 41. Probus. Probo ib.

Restis. Resto.

Restitue ablatum, renuis? restat tibi Restis.

Ruga. Rugio.

Rugit commotus, caperans frontem Leo rugis.

Sidus. Sido.

Sidera gyrantur, subsidere at illa videntur.

Silex. Sileo.

In silice, & non collisa, latet & silet Ignis.

Stips. Stipes. Stipo. p. 42.

Tæda vel *Teda, Tædet.*

Armorum hunc tædet, tædas qui amplexus Amorũ est.

Vellus. Vello.

Glubere cui licuit, minus est de vellere vellat.

Verres. Verro.

A verre avulsæ setæ vestes mihi verrunt.

Verus. verùm.

Verax vera refert, verùm non omnia vera.

Vir vires, &c. p. 42. | *Vitium. Vitio.*

Nostram Animam vitiant Vitia, & lonvicia Famam.

Unda. Unde.

Unde Metus, causa est, quando Unda supervenit undæ.

2

Æquum Æquor, sed ventus is est, unde æstuat undis.

Citò Præsto Continuo &c. p. 43. huc.

EPIGRAMMATA.

Bellum. Bellus. Incerti.

Bello cùm belli prorsus nihil undíque subsit,
Bellum cur belli dic mihi nomen habet.

2. Dicam, sed audi.

Bella Ars est Bello, ex Paradiso ut fiat Eremus:
Bellæ artes Belli, queis perimatur Homo.
Exstruere at bellum quod destruit, Ars ea bella,
Ars vitam cæsis reddere bella foret.

Joel. 2. 3. Rom. 1. 30. Bellum autem à Duellum, ut Duonum Bonum, Duis Bis.

Congrus. Congruus.

Anguis ut Anguillæ, est Anguilla & congrua Congro:
Anguilla hic Maris est, Anguis & hæc Fluvii.

Fera. (est.

Quando homini cibus est, caro facta humana Ferina
Quæ Fera nostra esca est, non fera, mitis erat.

Lepus, Cervus &c. non Lupus, Vulpes, Leo.

Fœdus.

Quod pepegit fœdus, fœdus qui fregerit illud:
Fidentem ut feriat, fœdera quique ferit.
Complexum Sceleris Monstrũ, quod Carmen abhorret,
Homi-Parri-Regi-Regni-Christi-Deicidium.
Patratur *Fœdum* hoc, & *Regem* qui *feriebant*,
Ne Rex sit, *Fœdus* nósque *ferire* volunt.
Nimirum in Regum Regem sic Ille rebellis
Vult Socios propria Perditione frui.
Non vult ne Rex sit, Rex est Princeps Tenebrarum;
Sed quibus est Sceleris Suasor & Ultor erit.

Lectus.

Occurrunt menti in lecto lectissima quæque.
Et lecto vigili scriptio lecta juvat.

Liber.

A Morte, Exilio, Liber éstque à Carcere liber:
Te libram malles forte aliquando tuum.

Magnes. Magnus.

Mens levis Electrum est, vel Acûs tractrix Acerumve:
Sed Magna, ut Magnes, obversa est pondera versus.

Malum. Mala. Malus, a, um. Hugenii.

Cur bona Mala vocor sedes formosa pudoris?
Nempe quòd instar habent non mala Mala mei.

Ejusdem. *Malum Citreum* dono
missum Medico imperito.

Non

Non malè collati videor mihi muneris autor:
Medicum ego *Malum* mitto *malo Medico.*

Minor.

Culpa minor modò sit, minor est quoque Pœna minaris
O tibi si talis, quæ mihi pœna fuit!
Sed tibi pœna minor; parcénsque, monénsque, volentis
Nec pœnam, dum aliquâ spem superesse videt.
In Scelus at si culpa ruit geminata; Flagella
Digna minæ spretæ tunc geminanda vocant.

Mundus.

Res nimia est Mundus muliebris, sordida Fucus;
Res mundo grata est Munditiæ faciles.

Nates. Natus. Hugenii.

Ut quod iniqua Τυφὴ cygnææ prodiga plumæ est.
Pulvinar natas quæ sciat esse Nates.

Nates. Nato. Ejusdem.

Nolle manum Nautæ piceos maculare Rudentes,
Hoc est quando nates, nolle madere Nates.

Partus.

In Gnatis vivis, fas propter eos quoque vivas:
Síntque tuum ob Partum parta labore tuo.

Perna. Pernix.

Pernix Dama fugit, fugiat: mihi Perna camino
Suspensa est, tales non fugiúntque Pedes.

Proceres. Procerus

Dicuntur Proceres statu eminentes:
Proceri, quibus est statura celsa.
Vulgò Nobilis at *stetit* minoris,
Æquum quò *statuat Statera* Vulgi:
Proceris sit ut *æquior* Statura.

Detrun-

Detruncent Caput his Homunciones.
Degunt *inſtabili Statu* Potentes,
Æquus qui *Status* his obeſt *iniquus*.
Magnatum at *Statio* licet ſit anceps,
Eſt vulgi ſtatus & ſtatumen anceps,
Vulgus cuncta movens *ſtatim movetur*,
Momento rotat in *Statum priorem*.

Propago.

Per *Pagos* creſcente Dei virtute Propage,
In *Gentem* ingentem Genus Humanum *propagatur*.
Sic Primi *Patris* de *Natis Natio* facta eſt,
Et *Patria:* & longæva Deus voluit ſua Secla,
Creſcat ut in Regnum Pater & Rex: ut Typus Ille.
Nativi Imperii ſit, Cœleſtíſque Monarchæ.
Degenerans Regnum in Regimen Populare videtur
Communi à Patre, & Summo deſciſcere Rege.

Pullus.

Miratus Pullos non pullos Corvus abhorret:
Pupilli victum credite, Numen alit. Pſ. 147. 9.

Simila. Similis. ex Martial. Ep. 13. 10.

Nil Similæ ſimile eſt, numeres ſi munera & uſus:
Piſtori toties cum ſit & apta Coco.

Talus. Talis:

Tali ſi tales ſint ſemper, & *Alea* non ſit
A ſe *alia*, haud luſus, ſpes, neque Caſus erit.

Verſus. Hugenii de Pontifice Poëta.

Scribere *P*ontificem Verſus non miror, Amici:
Mirarer verſum ſcribere *P*ontificem.

Vter. Vterus.

Mancipium utre manens tibi vinum, uteróq; Tyrannus?
Utrum

Utrum horum mavis, alterutrumque potes.

Caligo.

Caligo ipse oculos, oculos Caligo tenebrat.
Sit bona Nox Terræ, Sidera dum pateant.

Erro.

Sæpius erro, lubens nisi facero, non vocor Erro:
Transfuga, qui *fugit*, haud quem fugat alter, erit.

Indago.

Voces indago, quamvis Indago molesta est.
Non editur Nucleus, Nux nisi rupta prius.

Suspicio.

An quòd suspiciant Hominem, & reverentia tangit,
Nocte Feræ prædas, luce petunt latebras:
Vindicis an subit his suspicio conscia noxæ;
Incautam in Somnis prædam an ut opprimerent.

Alga. Algeo.

Improbitas meritò projecta vilior Algâ:
Laudatur Probitas, alget at illa tamen.

2

Non alget, virtute Salis calet Alga marina:
Atque hæc fæcundat, litore vilis, agros.

Certus, Certo.

Certat in incertis Mens inter spémque metúmque?
Credo quod malo, nec mala certa magis.

Damnum. Damno.

Prodigus an damni, magis an damnandus Avarus?
Detinit ille bonis, projicit ille malis.

2

Idem damnatur damni, Dominúsque vocatur;
Ne invideas, quos non Pectora dant, Titulis.

Rure

Rure ut *Latronem* quem *allatras*, Urbe salutas:
 Ore foris loqueris callide, corde domi.

Facies. Facio. &c. Incerti.

Quid facies, Facies Veneris cum veneris ante?
 Ne sedeas, sed eas; ne pereas per eas.

Flagrum. Flagro.

Crudelis, ferus ut Fera, verè ferreus ille;
 Cui flagris flagrans cruda cutis volupe est.

Hortus. Hortor.

Ad cultum hortatur culturâ fertilis Hortus:
 Exemplo ad fructus fructifer ille suo.

Incitas. Incito.

Tentare ultima virium incitamur;
 Et vim mentis ad incitas redacti.

Linum. Lino.

E lino Charta est, in chartam *Litera* scripta est:
 Nec bene, ni chartam multa *litura* linat.

Luxus. Luxi.

Sæpe brevem luxum multo post luxit Asotus:
 Mæror: & affecla est Crapula sæpe Meri.

Mora. Morior. ex Seneca.

Magnum homini, ut tarde quis, cúmque mora moriatur:
 Distulit, haud mortis sustulit ille diem.

Oculus. Occulo.

Occulitur Oculus ciliisque, superciliòque;
 Verbere abhinc tutus; Pulvere vel culice est.
*S*ic Oculo, membris qui prospicit omnibus unus,
 Pluribus à membris prospiciatur opus.

2

Occulitur sibi ipsi Oculus, prætérque seipsum
 Nil non ille videt, cœcus at ipse sibi.

Est Oculus Vulgi Sapiens; nec suspicit ille
Semet, sed multis prospicit atque sibi.
Ipse suo speculo Narcissus mergitur: atqui
Sunt aliorum oculi, sint speculúmque Tui.

Ode. Odi.

Obscæna exosus lascivas odit & odas:
Queísque subest virus, dulcia mella cavet.

Pandus. Pando.

Ecce Crucem pandit de tergore pandus Asellus;
Anne quòd ascendit Rex crucifixus eum?
Usque Onus aut Fustis sanè hunc cruciavit & illum;
Discipulúsque crucem passus Asellus erit.

Pater. Patro.

Nobilis es? Patriam patriis virtutibus ornes:
Tam digno patres nec Patre digna minus.

Pellis. Pello.

Pallorem atque Metus non Palla à Pectore pellit:
Nec quantum Pelles frigora Corporibus.

Perdix. Perdo.

Perdices Auceps non perdit non capiendo,
Non habuit nempe, ast operam & nomen sibi perdit,
Nam nisi Aves capiat, non jure vocabitur Auceps:

Probus. Probo.

Ob probra admissa huic objecta Opprobria Vulgi;
Confutata probant hunc magis esse probum.

Rapum. Rapio.

Romulus in cœlum rapitur (sic credite) Raptor:
Rapa quoque hoc cœlo Romulus esse solet.

Sic Mart. Ep. 13. 16.

Regis. Regis.

Nescius ipse *regi Regem* vult esse Tyrannum:
Non *Regem* esse volet, qui *regere* ipse volet.
Qui Populos *regit*, & *Reges*, non ille Tyrannus.
Vix Titulo Rex est? Ille Tyrannus erit.
Qui *Reges regit*, hic plusquam regnare videtur:
Omnia, qui *Regum* est *Rex*, *regit*, Ille Deus.
Sed Mundi Princeps hoc Jus sibi vindicat ipsi;
Et si forte dedit, queis velit Ille dedit.

Silex. Sileo.

Abstrusus silice in rigido latet & silet Ignis;
Sed ferro excussa & verbere Flamma patet:
Ingeniique tui scintillas verbera sola
Si excutiant, fueris tu regidusque Silex.

Spira, Spiro.

Serpit humi Serpens, squamis squalentibus horrens;
Sese in se sinuans per spiras, sibila spirans.
S. sonus is suus est spirantia sibila signans,
S. Spiras specieque sua simulat sinuosas.

Sigmatismus à Virgilio non semel affectatus, serpenti proprius: nam ut R. canina est sic S. litera serpentina; sic sibilat Aspis.

Stips. Stipes. Stipo.

Præmia stipanti, si non stipendia, dentur:
Stipitis est instar, num stipe dignus iners?

Taxus. Taxo.

Olim *feralis* Taxus, sed qui bona *censens*
Taxat, *censetur* Censor & ille *ferus*.

Terra. Terreo.

Cladibus & Bellis nos terret turbida Terra:
Nam Terræ motæ terror adesse solet.

Vellus. Vello.

Ad ſpinetum adigit percellit ovémque Procella :
Tutelam hoc ſpondens vellera vellit idem.
Te versùs ſpectant verſus, ô ſi benè verſi.

Viola. Violo. Bauhuſii in Zoilum.

Quas violas Muſas, Violas nos; quáſque videmus
Dente tuo *roſas* credimus eſſe *Roſas*.

Vir. Vires. Vireo. Virus.

Sunt vires vegetæque viris, ſua dum viret ætas:
In morbi virus ſola medela valet.
Vulgus cuncta movens ſtatim movetur ,
Momento rotat in ſtatum priorem.

Cito. Præſto.

Qui citò, dum cito, comparet: paret mihi; præſtò
Quiſquis adeſt, præſtat quod facit ille volens.

Pareo *primaria ſignificatione eſt adſum, præſens ſum, ut ex Compoſitis patet*, Appareo, Compareo, Diſpareo, Tranſpareo.

Continuo.

Continuè (aſſidue) pergendo continuavi:
Continuò (& citò) non inde peracta putes.

Impenſe.

Impensè gaudet, dum Impenſa eſt facta, Benignus:
Ut bene ſit multis, nempe benignus amat.

Valde, multùm , ut & impendio Comparativis major , minor. &c.

Intro.

Veſtibulo ſtatur, ſi quiſquam admiſerit intrò ;
Intro, adeo; penetro nec Penetrale tamen.

Oppido.

Ni quæſtûs ſat in oppido, penúſque,

Sat questus erit oppidò, supérque.

Tantum.

Quòd tantùm minor, est querela Patris;
Quòd tantum minor, est querela Matris:
Sed tantùm *minor* in *minore* Culpa.
Ne Mos culpa foret, minórque tantum.

2 *Bern. Bauhusiii, Epigr. l.* 5.

Jurgia in Hæreticos quidam jacit aspera Præsul,
Et Sanctum Domini se probat esse Canem.
Est cui non placeat, quòd tantum latret: at hoc mî
Ægrè est, quòd tantùm Præsulis ira latret.

In Bauhusium.

Non tanti est Sanctus tantùm ut latret Canis; at vis
Mordeat atque voret; nec puto plura Lupus:
Clavibus & Petri * gladium vis cingere Pauli;
Nôsti etenim † Gladium displicuisse Petri.
Mars, Deus an Pacis? Servator an hæc dat Abaddon?
Jesum anne Ignatium Nomine ritè refers.

* Ejusdem Ep. l. 3. *Turba Lemanna sacras spernit Petri impia Claves; O gladium Petro da modò Paule tuum* (ubi non B. Apostolum, ut olim Papa Julius; sed Paulum V. Pontificem alloquitur) † Mat. 26. 52.

CAP. IV.

De Nominibus Numero, Casu vel Genere, Flexu vel Terminatione distinctis.

Ædes.

RECtum erit in nostris, sacra quod in Æde profanū.

Ædes *plur. adificia, sing. Sacrarium vel Basilica,* the Place &c.

Balneum. Balnea.

Balneum erit privatum, at publica Balnea sunto.

Castrum. Castra.

Castrum Arx munita est, bellantum Castráque sedes.

Copia. Copiæ.

Copia si fuerit plurali, singula deerit.

Ubì exercitus fuerit numerosus, opum deerit abundantia.

Facultas. Facultates.

Cuíque Facultates ut sunt & Copia rerum;
Copia, &, ut multis faciat bene, cuique Facultas.

Fides. sing. & plur.

Pectore firma Fides: Fidium est cum Pectine pulsus.

Fortuna. Fortunæ.

Fortunam accusant, Fortunas nemo recusat.

2

Fortunas *quærunt*, de Fortunáque *queruntur.*

Fortuna *pro Casu vel Sorte semper singulari, pro Falictate, Opibus &c: rarius singulari numero invenitur.*

Opis. Opes. Opus.

Dantur opes ad opem, non est aliàs opus illis.

Rostrum. Rostra.

Rostrum Avis & Navis, sunt Pulpita Rostra diserti.

Tempus. Tempora.

Tempus quò numeres per pulsus, Tempora tangas.

Turba. Turbæ. Turbo.

Turgeat in turmas cum Turba, est turbine pejor:
Torva ciet turbas, & turpiter omnia turbat.

Varus. Vari, Varix.

Ut neque sis varus pede, varice nec varicosus
Cruribus at Vari commaculant variè.

Bidens. F. & M.

Eminuli duo sunt dentes quibus, hasce Bidentes
Dicito oves; rastrum hunc gemino quoq; dente Bidentē.

Calx. 1. MF. 2. F.

Cæmentum sub calce pedis calcabitur, & calx.

Cassis. 1. F. 2. M.

Ne noceas, tegitur consultus casside miles:
Ut perdas, tegitur stultáque cassa Fera.

Frons.

Latá in fronte decus, frondes latæque decoræ.

Glis, 1. *Glissis* F 2. *Gliris. m.*

Glis est terra tenax, Mus est terræque tenax Glis:
(Somno detentum frigore terra tenet.)

Lens. fæm.

Me Lendes (vermes,) ego lente (legumine) vescor;
Nec refert quid edat vermibus esca brevi.

Os.

In Cane sat bene conveniunt Os oris & ossis.

2

In Canis ora mali recidunt bona ſæpius oſſa.

Populus.

Populus hæc vento, hic populus rumore movetur:

Vas. vaſis n. vadis. m.

Túque & vaſa abrepta tibi, ni ſpondeat hic vas.

Viſcus. i. & eris.

Viſcus non natus de ſemine ſemina profert:
Hæc Turdus capit in viſcera, & his capitur.

Non dico, quod in Proverbio—*ſibi malum cacat, hoc enim inter vulgares Errorores redarguit* V. Cl. *è noſtris D. Brown in Pſeudodoxia Epidemica.*

Acus. ûs f. eris n.

Magni pendit acum, quam aceris ſcrutatur acervo.

Anus, ûs f. i. m.

Hæc Anus ejiciet, quæ noſtrum egeſta per anum.

Aquila. Aquilo.

Pernix eſt Aquila, útque Aquilo volat æthere magno.

Aſilus. Aſylum.

Subſilit ipſe Aſinus terebra ſtimulatus Aſili;
Diſcurrens humilémque in muſcam neſcit Aſylum:

2

Cónſcium aſilus agit ſceleris, dum atttingat aſylum,

Avis. Avus.

Vix bene contrectantur Aves manibus Puerorum;
Nec Pueri rectè manibus tractantur Avorum.

Aura. Aurum.

Damnatum tenebris venit Aurum in luminis auras.

Aurum. Auris.

Dic Aurum dabo, ſat dictum eſt, quiſque arrigit aurem.

Bellum. Bellua.

Eſt Equus acer, & eſt ad bellum bellua nata:
Ex Homine edoctus cogitur eſſe ferox.
Sanctus Pace fuit, *prodit* fera *Bellua Bello*;
Oblata ex Præda *proditur* eſſe Lupus.
Fallor, & hic Sanctus; Lupus eſt ſacra *Bellua* Marti,
Belliger atque Deo *Bellua Sacro* ſuo.
Fallor in hoc, Ovium Lupus hic malè creditur Hoſtis;
Deperit has miſere, viſceribúſque fovet.

Cœlebs. Cœlum.

Vitæ ſecurus cœlebs cœlum meditetur.

Caliga. Caligo.

Dum calet, extra ædes umbra & caligo petuntur;
Dum friget, caligat induimúſque togas.

Campus. Campana.

Continuat ſonitum Campana per æquora campi;
Producit campis æquoreíſque ſonum.

Carbo. Carbaſus.

Tyro rudis carbone effingit carbaſa pingens.

Carex. Carina.

Carice ſubſternit Remex juncíſque carinam.

Cervus. Cervix. Caſus Caſeus p. 58.

Non ramoſa gravant cervicem cornua Cervi.

2

Non cervicem onerant, caput ornant cornua Cervi.

Clavus.

Ligna ſolet Faber infixo configere clavo;
Et navem clavo ducere Nauta duce.

Clava

Clava. Clavis.

Clava foras adigit grassantem rure Latronem:
Furi præclusa est janua clave domi.

2

Clavâ Latrones, & Clave repellito Fures.

Clava. Clavus. Clavis.

Tu clavem clavæ cum clavo non potes, inquis,
Figere, sed fixam fingere nonne potes?

2. *D. Rob.*

Clava ferit, Clavus firmat, Clavísque recludit.

Collis. Collum.

Colli vel Monti *Juga* sunt, & sunt *Juga* Collo.

Crater. Crates.

Viminea aurati crateres crate feruntur.

Dolor. Dolus,

Fallaci an dolus in Spe? sed spe fallo dolorem.

Fœnum. Fœnus.

Fœnum ultro, & fruges tellus cum fœnore reddit.

Fames. Fama.

Fama refert homines pellere glande famem.

Fundus. Funda. Fundo.

Fundo ædi subsunt fundandæ grandia Saxa:
Effundit Lapides Fundáque tela velut.

Gena. Genus. Genu.

Ingenui generis gena, quæ suffusa rubore est:
Supplex atque Genu mitia corda notat.

Humus Humor.

De pluviis,fluviis, nive sicca humus humida potat.

Laqueus.

Laqueus. Laquear.

Tendit Aranea quos laqueos laquearibus aurêis!

Lepus. Lepor.

Fauſtum Venator leporem, infauſtúmque Viator
Dicit: res lepida eſt plena Lepore Lepus.

Libra. Liber. Libella. Libellus.

Ex libra libella venit, libróque libellus.

2

Libra datur, monitor mihi ſis liber empte datoris.

Lora.. Lorum. Lorica.

Lorica ex *loro* dedit illam ſutile lorum.;
Lorum & vibices *livida* membra dabunt.
Loricâ tectûs, qui ſecum protegit omnes,
Hic etiam ex *loro*, *Lora* dedere Virum.
Lora tenet Regni, qui Plauſtri *lora* tenebat,
Paupere de *Lora* non hic, ut ante, bibit.

Lucta. Luctus.

In lucta Pugiles luſum an luctum exhibuere?
Hac ſpectantum Oculis lite litant Animas.

Marga. Margo.

Marga impinguat agros fluvii de margine ſumpta.

Menda. Mendacium.

Emendare volunt, geminant mendacia mendas.

Mentum. Mens, tis.

Cum menti barbâ éſtque coæva ſcientia menti:
Ingenio præcox, qui ſapit ante pilos.

Menſa. Menſis.

Menſa inſtructa placet feſtivo menſe Decembri.

Meta. Metus.

Ad metam ſpes, ínque fuga metus addidit alas.

2

Metam desperat, plumbeus éstque Metus.

Moles. Mola. Molo. Molior.

Saxi mole molâ teritur granum : emolumentum
Molitur proprium farra aliena molens.

Mora. Morus.

Floris tarda mora est, dum cessent frigora, Moro.

Murus. Mus, muris.

E muris furtim repetunt penuaria mures.

Mus. Musca. Muscus.

Mus minimus quadrupes, ales musca, herbáque muscus.

Opus. Opera. Operæ.

Servi (quos operas dixere) agiles operantur.
Unâ operâ duo si conficiant opera,

Orbus. Orbis.

Orbus non domui, sed Cœlo natus & Orbi.

2

Nomine in orbe orbus curet cœlo ipse supersit.

Ovum. Ovis.

Totum Ovis ad victum, totúmque Ovi est alimentum.

Pala. Palus.

Rustica limosas expurgat pala paludes.

Pavo. Pavimentum.

Pavo pavimentum demisso syrmate verrit.

Pica. Pix. picis.

Pica loquax picta est, Cornix pice nigrior ipsâ.

Pila. Pilum.

Mittere pila virûm est, pila ludicra sed puerorum.

Pilus. Pileus(Galerus.)vel *Pileum*(Tegmen.)

Pilea sunt capitum, Pilus éstque cutis tegumentum.

Plaga

Plaga. Plagæ. Plagium.

Crudeles plagásve, dolive plagas, plagiúmve,
Mundi nulla plaga est, qua licet effugias.

Porcus. Porca.

Arvorum porcas porci intrant messe peracta.

Pruna. Prunum. Pyra. Pyrum.

Grata mihi Pyra sunt, Prunáque: voce propinquas
Prunas atque Pyras non amo, sed metuo.

Pupillus. Pupilla.

Pusio (pupillus) cum sit tener atque pusillus,
Ut pupillam, illum mater amica fovet.

Regia. Regio.

Quæ Regio in terris, ubi non & Regia fulget.

Sapa. Sapo. Sapor.

Sapo ad munditiem, Sapa cocta est adque saporem.

Scutum Scutica.

Tollitur ad scuticam, scuti vice, dextra minacem.

Sorex. Soror.

Longior est Mus Mustela, & Sorex soror ejus.

Stola. Stolo.

Est stolo luxurians, stola luxuriosa superbis.

Testa. Testis.

An sint limaces sine testis, consule testes.

Torrens. Torris.

Est ab Aquá Torrens, Torris qui torret ab Igne.

Tuba. Tubus. Tibia.

Tibea Pace canit, curvus tubus & tuba bello.

Tubiden. Tibicen.

Plures quàm Tubicen socios Tibicen habebit.

Vallus

Vallus. Vallum. Vallis.

Rus ditant Valles, vallum & valli oppida cingunt.

Ventus. Venter.

Inflanter cerebella fabulosis,
Vento Venter uti Chamæleontis.

Verbum. Verber.

Verbera succedant, successu ubi verba carebunt:
Quos non verba regunt, corrige verberibus.

Vestibulum. Vestimentum.

Vestibulum egresso sint vestimenta decora:
Veste superba ornat se sibi nemo domi.

Vita. Vitis. Vito.

Fructus, ut in vite, est vitæ precium; otia vita.

EPIGRAMATA.

Adversarius. Adversaria.

Albo signandus lapide, & scribendus in *Albo*,
Siquis Amicus erat: sin Adversarius alter,
Ne tua commacula Adversaria nomine nigro.

Cuniculus cuniculi.

Pernoctans Canis irritò diurnum
Investigat iter Cuniculorum:
Hi stulti sibi si negent quietem,
Securi latebris Cuniculísque.

Facultas. Facultates.

Cuique Facultates non sunt, & Copia rerum:
Copia at & cunctis bene velle, cuique facultas.

Fastus. Fasti.

In Fastis Fas, Sacra olim, fortè Otia, Fastus:
Cætera cum liceant, non ibi Sacra licent.

Fides. Oweni.

Iurima apud veteres Fidium fit nulla Fiderum.
Mentio, priſcorum nam fuit una fides.

2. Bern. *Bauhusii.*

Hæc eſt in Batavis libertas peſſima Terris,
Fides cuique libera eſt:
Vivitur in centum Fidibus dicam anne Fidebus?
Sua cuique Domus Eccleſia eſt:
Et numerus Capitum, numerus jam pene Fiderum eſt.
Erubeo, ridet Alvarus.

Nullum ſeculum feracius Religionum hoc noſtro, ſterilius Pietatis. Lipſius. Never ſo many Religions, never ſo little Religion.

Ad *Jeſuitam.*

Dictio ficta movet fictum, ſed Factio verum
Vera movet riſum: rideat iſte, gemo.

Litera, Literæ.

Inprimis elementa Literarum
Ignaris Pueris legenda dantur:
Ut pingant ſimiles ſecunda cura:
Magnum, ſi poterint Epiſtolares
Tandem ſcribere Literas Parenti:
Sed diſcant niſi Literas & Artes,
Nondum ſunt mihi jure Literati;
Nec quamvis ruditate liberatos.
Doctus nominat inter Eruditos.

Litera *pro Elemento eſt utriuſque numeri; pro Epiſtola raro ſingularis, idque apud Poëtas; pro Scientia vero*, &c. *ſemper Pluralis, unde* Literatus, Literatura, *&c.*

Opis

Opis. Opes.

Pauper ope modica, haud opibus contentus Avarus:
Cúmque egeant ambo, quis cèdò pluris eget?

Turba. Turbæ.

Publicolæ ficto fallunt titulo; Poplúmque
Dum colere obtendunt, Se voluere coli.
Turbæ nempe placent, in turbas ut malè cautam
Trudant, piscanti turbida præstat aqua.

Vari. Varius.

Sunt Flores varii quasi gemmea sidera prati:
Vari & sunt Flores, auribus ut sit honos.

| *Gr. Exanthemata.*

Ansa. Anser.

Roma servatur, dedit Anser ansam:
Et Tubæ clangunt, dedit Anser ansam:
Scribit Indoctus, calamus deditque
Anseris ansam.

| *Neque multùm dissona sunt turbarum* Clangor *&* *anserum* Gingritus.

Apes. Aper.

Flores libat Apes; Flos & manet integer Hortus:
Sordibus irrumpens omnia miscet Aper.

Aura, Auris.

Læva Auris tinnit; linguæ premit Aura remotæ:
Quàm Cerebro, sensus major in Aure mea,

Bellum. Bellua.

Vult Homo, quod non vult nisi trux ea Bellua, Bellum;
Nec totas sternit vel truculenta greges.

2

Sanctus Pace fuit, fera *prodit* Bellua Bello:

Butyrum

Oblata ex Præda *proditur* esse Lupus.

Casus. Caseus.

Lac varios patitur casus; fit Caseus inde,
Butyrum, atque Serum post sera Coagula lactis.

Crepida. Crepido.

Tune ultra crepidam? Mare séque crepidine cingit,
Nec *metus* ut *metas* Sidera transiliant.
Terra nec alta petit, rectíque errando Planetæ:
Nempe hæc Lege Dei, Tu sine lege tua.

Cuculus. Cucullus.

Annos auditum primum numerare Cuculum
Qui primus finxit, Monachi dignare Cucullo:
Et meritò, novit melius nempe ista Cuculus,
Quàm nos, quorum audet sibi cras promittere nemo.

Cunæ Cuniculi.

Infantes Cunis, potitárque Cuniculus antris,
Et Pulli nidis: minimorum est maxima Cura.

Fulgor. Fulgur.

Ceu fulgore probos traho, terreo fulgure pravos:
Cum Pueri variant, Ars varianda mihi.

Gena. Genus. Genius. Hugenii.

Ingenium, genus, & genium quæ prodere possum,
Et soleo, merito sum Gena dicta meo.

Humor. Humus. Oweni.

Uxor Aquæ Tellus, Aqua Terráque sunt Globus unus:
Res bene conveniunt Vocibus, Humor, Humus.

Institta. Institor. Instituo.

Optimus est Pannus, pulcherrima & Institta nostra
Institor instituens vendere verba dabit.

Ira, Iris. Exemplum variationis. Poëticæ. Ecclus. 43. v. 11. 12. 30.

Adventans Nubes venientem nunciat Iram :
Iris adest, intervenientis nuncia Pacis.

2

Nubes signum Iræ, quæ præteriítque fuítque:
Mansuri atque novi sed signum est Fœderis Iris.

3

Nunciat Iram aliquam circumdata Nubibus Iris :
Circinat Iram Iris, superatáque nubila cinctu.

4.

Iride solatur Color, Ira in Nube minatur :
Nubes fusca Iram monet, Iris fulgida Pacem.

5

Ira Iris dubia est, varios induta colores.
Sedata Ira Iris, vario decorata colore.

6

Ira Iris, sed placata; Arcus, at ábsque Sagitta :
Frænata Ira Iris; Risus plorantis Olympi.

7

Fletus & Ira pluendi, at Solis in Iride Risus:
Ira levis, tenuísque est Roris ab Iride Fletus.

8

Iræ mixta vides & in Iride signa salutis :
Dulces ecce minæ pravos ut amántque monéntque.

9

Altra licèt, cum Sole est, & sine Fulmine Nubes :
Etsi Arcus, tamen obversus, spectánsque superna.

10

En Pluviam sine Diluvio mergente madentem !

Non ab Aqua metus est, Flammæ color Iride perstat.

11

Iris visa monet Dominum, ne suscitet Iram:
Iris visa Hominem moneat, ne provocet Iram.

Lepus. Lepor.

Captum fortè sinu Leporem dum Rusticus ambit,
Plaudit fortunæ deliciisque suis.
Sed Lepore elapso, nil succi habet hic cibus, inquit
Sic juvat, ut fugit præda, lepore frui.
Non homini lautè tantum est ac vivere lætè;
Non damnum Lepus est, cui manet esca Lepor.

2

Infaustum est Leporem, atq; Lupum transcurrere faustū·
Omen hoc? annon est cúmque Lepore Jocus?
Posse capi Leporem melius, transisse Lupúmque:
Dic verum, at risu non sine, sic veteres.

Liber. Libra.

Scribo Libros libras sed Bibliopola reportat:
Et Libras habet, & doctior ille Libros.

Lora. Lorum. Lorica. vid. p. 42.

Mentum. & Mens tis, &c. ex I.C. & R.C.

Barbarus ex *barba*, non mensuratur Apollo;
Barbatus *Barbus* piscis, & ipse Caper.
Mente est non Mento sensus, Capite haúdque Capillis;
Canities capitis nec Caput esto rei.

Mora. Morus.

Non floret, nisi transacto jam frigore, Morus:
Hæc mora prudentis, sic neque Morus erit,

Μωρὸς stultus, quin ob hoc arborum dicitur prudentissima; quanquam Nomen Illi non à florum morâ, *sed à μαυρὸς niger,*

qui

qui bacearum color est & Maurorum in Mauritania, *ut ille*, & tinctus Moro Maurus: *& fructus alii à nigredine vel affinitate dicuntur* Mora, *ut Rubi, Myrti, &c.*

Mus. Musca. Muscus.

Quadrupedum minimus Mus; inter Gramina Muscus;
Musca volans minima est aligeríque gregis.

Opus. Opera. Operor.

Nullum Opus âbsque opera fit, crede opus esse operarit
Ex Ludo nil fit; des operam, extat Opus.

Orca. Orcus.

E Prelo exprimitur qui Sanguis dicitur uvæ;
Sanguine fuso hominum Prælia dira fluunt:
Lætaturum Homines illud Vinum excipit Orca,
Gratum Dœmonibus Nectar hoc Orcus habet.

Petasus. Petaso, onis.

An Petaso similis Petaso, an Petasus Petasoni,
Dicat Avis callens Pilea quæ fuerant:
Sed prisco an refert in tegmine noscere formam?
Multùm: erit hæc veterum forma novata Novis.

Pila. Pilum.

Mittunt Pila viri; Pila ludicra sed Puerorum est:
Jactanter jactant impete & ambo pari.
Dum Pila jactatur Puerorum, hæc gloria, metam
Captum aut collusor si superet socii.
Quanta, Homo si meta est, jactantia fit jaculantum?
Ni perdatur Homo, perdita Pila putant:
Ni metam attingant, nisi tela in viscere condant
Hic tamen ut vivat, conditus Orbis erat.

Pilus. Pilum. Cilia.. Hugenii.

Quot rigidæ stamus lacrymarum in littore setæ,
Tot sumus in muscas hostica Pila, Pili.

Pilus. &c. Ejuſdem in Controverſiam de Coma in Batavis agitatam.

Occupaa illuſtres Calamos, Suggeſta, Scholáſque,
Res hodie, quid res? Recula, nempe Pilus.

Ad Clariſſ. Hugenium pro Batavis.

Recula ai'n Pilus eſt, dans pila minantia pilis?
Facta intérque Viros doctè agitata Pila?
Concinnum an faciant Cinni, probet an Coma comptũ;
Cæſaries magis an cæſa, an ad uſque cutim.
Ingenium Capitum! caput eſt in lite Capillus:
Conſtabit ſua ſic umbra cuique Pilo.
Lis gravis an tantùm Pilus & tibi Lana caprina eſt?
Tantáque tantillo non bene digna Pilo?

Præda. Prædo. Prædium.

Magnus Alexander, titulo ſi magnus honeſto,
Terrarum Prædo Magnus, vocandus eris.
Nec minor eſt Prædo, quia Regum Prædia præda eſt,
Non minor es, cui Gens unica præda minor.

Pupillus. Pupilla.

Totum Hominem, ut Speculum, Pupilla puſilla reflectit:
Sed quaſi Pupillum, reddit pupilla Puſillum.

Quæſtio. Quæſtus.

Sæpe roges, quæras; res plena eſt quæſtio quæſtûs:
Qui quærit ſperat, tentat ut inveniat.
Quærenti ſcita, & ſæpe haud quæſita reperta:
Sed nihil acquiri ſpero, ubi quæro nihil.

Scopa. Scopus.

Séque Dmúmque facit ſcopæ purgammine mundam:
Quum Scopus Ancillæ eſt, ut placeat Dominæ.

Siler.

Siler. Silex.

Molle Siler, rigidúsque Silex est: illud Alumnus
Undarum, hic Lapidum est, Ignis & ipse Pater.

2

Dura Silex tardè è Creta concreta rigescit:
Cressit lenta Salix, & citò molle Siler.

Vita. Vitis.

Vita velut Vitis. Fructus precium est utriusque
Utráque si sterilis, quid superest? Lachrymæ.





CAP. V.

De Verbis Conjugatione, Voce, vel Syntaxi distinctis.

Apparare. Apparere.

ILle tibi, qui apparet, & apparat omnia, Servus.

Appellare. Appellere.

Appellata fide ex nostra Fiducia Navis,
Naufraga cum appellat, Nomen an Omen habet?

Audere. Audire.

Facta audire pudet, quæ non audere veremur.

2

Non quod quisque audit mox audet dicere verum,

Aveo. Ave. def:

Quisque avet & gaudet, Salve quando audit Avéque,

Colare. Colere.

Percolat culices quis deglutítque Camelos?
Parvula qui colat crimina, magna colit.

Compellare. Compellere.

Frustra compellans blandè compellere conor.

Condire. Condere.

Condimus sale, quas in cellis condimus, escas.

Dicare. Dicere.

Ad sensus animi dicendos Lingua dicatur.

Dolare. Dolere. Ps. 74.3.7.

Templa dolata pius doluit cecidisse securi.

Educare. Educere.

Educat educens Pharaonis filia Mosen.

Frigo.

Frigo. Frigeo.

Qui frigent, Coquus hosce cibos sartagine frigit.

Fugare. Fugere.

Est fugiendum, cum fugat is quem dicere nolo,

2

Ne fuge, *ne* pudeat, *ne* turpe est, *éstne* virile?
 Tu Vir, an Hostis erit? tu fugis, ille fugat?

Furari. Furere.

Furari est furere, & *finem* sibi quærere *funem*,
 Queis finis funis, nec sibi *Funus* erit.
(His tumulus terræ cumulus, canis éstque sepulchrum
 Fossa sibi? in justos talia Justa decent.)

Gestare. Gestire.

Qui grave gestat onus, non hic sub pondere gestit:
 Sed gestit, Numi qui grave gestat onus.

Jacio. Jaceo.

Ni jacerent pueri lapides, sine fine jacerent.

2

Insontes lapides humi jacerent,
Illos ni jaceret proterva dextra.

Impendo. Impendeo.

Impendas operam, merces impendet & instat:
 Certáque cum cupiat debitor esse Deus.

Indicare. Indicere.

Festa Sacrista indicit, ut indicat annua charta.

Insideo. Insido.

Insidet ipsius equo, insidit fuligo camino.

Labare. Labi.

Labentes fluvios, & tecta labentia vidi.

2

Tecta repente labant, Lenis dum labitur amnis.

Lactare. Lactere.

Fœta parit fœtum, lactatátque hunc, pusio lactet.

2 de Eva, Ænigma.

Lacto meos natos, mihi sed lactere negatum:
Nam tetegi labris ubera nulla meis.

Legare. Legere.

Legatum cum Collega Rex legat; & ille
Scripta datæ fidei & regia jussa legit.

Manare. Manere.

Manat continuò Fluvius; manet haud manet idem:
Est idem Fluvius, num quoque flumen idem?

2

Æquore non manet hoc, quod manat in æquora flumen:
Per terræ rursum viscere Flumen alit.

3

Immanet affectus penetrali cordis, & inde
Effectum emanat, quod sese in Corpore predit.

Mandare. Mandere.

Mandatur populo Jus, post Jus manditur esca.

Metere. Metiri.

Metator metitur, & hæc Messor metit arva.

Meto. Metuo.

Qui serit, is metuit, dum bellum est, ne metat alter.

Mutare. Mutire.

Vix mutire ausum bene *moratum* ergo putabis:
Mutare at sperno, *morosum* fortè vocabis.

Mutuo. Mutuor. Fænero. Fæneror.

Mutuor? heu miser est cui Rosor mutuat aurum,

Fæneror

Fæneror at nulli, nec ab ullo fænero felix.

Fæneror *vel* fænero *cum Dat. do ad usuram.* Fænero (*non fæneror*) *abs aliquo, accipio ad usuram.*

Niti. Nitere.

Nitere, si obscurus, propria virtute nitere.

Opperior. Operio.

Opperiare diem, cum fraus, dolus, omnia cordis
Lucida erant, nudum quódque operitur erit.

Palari. Palare à Palus. i.

Palabunda palàm palatur pabula Cervus
Ad sua, palatur Domini ad convivia palis.

Paro. Pario. Pareo.

Uxoris parere est puerum, parere Viróque:
Uxori & Pueris cuncta parare Viri.

Pendo. Pendeo.

Tam magni penduntur opes, Fures cruce pendent:
Æquius ut pœnas pendant, & damna rependant.

Placere. Placare.

Ultio ne placeat tibi, nam nullum ultio placat.

2

Places, ut placeas; non igne extinguitur ignis.

Polleo. Polluo.

Pollet honore aliquis? ne polluat ipsum inhonestis:

Prædicare. Prædicere.

Prædico preteritum aut præsens, prædico futurum.

Prodesse. Prodere. Prodire.

Prodere quid prodest, celaréve proditiones?
In lucem nil non tandem prodibit apertam.

Redimere. Redimire.

Qui *tempus* redimit redimita huic *tempora* lauro.

Rigare.

Rigare. Rigere.

Qui terras rigat, hic gelido riget aëre Rivus.

Sedare. Sedere.

Ut lites sedet, judex, sedet ante tribunal.

Servare. Servire.

Servat Avarus opes, servit magis: usibus illas.
Non servire suis libet, ast servare alienis.

Subjacere. Subjicere.

Subjaceant vicibus mundanis cuncta necesse est:
Subjice te, virtus fitque necesse tibi.

Vadare. Vadere.

Vadimus in terras, & per vada tuta vadamus.

Vagire. Vagari.

Vagire est Leporis, timideque hinc inde vagari.

Venio. Veneo.

Merx ea quæ raro venit, hæc caro quoque venit.

2 *D. Rob.*

Non venit id gratis, prece quod precio quoque venit.

Versari. Versare.

Cum vafro haud versare, hic versutè omnia versat.

Videri. Videre.

Multa videntur quæ non sunt, non multa videmus.

2

Quæ ignorant alii, videor mihi multa videre.
Dux aliis, Milésque sibi, sibi quisque videtur.

Vincere. Vincire.

Miles væ victis, quos vinco Vincio clamat.

2

Elige, num Virgâ vinci, vinciri an amore
Ad Studia: an verbis veribúsne velis.

Volo,

Volo, as, *Volo*, vis.

Quæ volo ad illa volo, nam sic & ad arma Volares.

Accedo te, tibi.

Te accedo, dum adeo; tibi, dum consentio.

2

Te accedo, nec adire magis fidum datur usquam:
Et tibi, nec meliùs consentio quàm sapienti.

Æmulor cum Dat. Invideo, cum Accus Imitor.

Æmulor, at malè nequam homini, cui prospera cedant:
Pejus Nequitiam, sine qua non prospera fiunt.

Animadvertere 1 attendere 2 att. ut puniam.

Fraudem animadvertens vafri Nebulonis, in illum
Certò animadvertam, sic Ars deluditer Arte.

Ausculto, ut & *Audio*, cum Acc. & Dat.

Ausculto tibi, téque, ut obedio & audio distant.

Audio *etiam cum Dat. significiat attentè audio, ut dicto audias, ordini audiens Cic* i. e. *obediens.* Obedio *autem est Obaudio; sic Græcis* ἀκούω *&* ὑπακούω, *apud nos hear & hearken.*

Cedere, Cedò.

(*a*) Cedo locum, restat quid cedò (*b*) cedo loco.

(*a*) *concedo* (*b*) *discedo.*

2

Est ubi pugna anceps, magni & victoria constat,
Cedere jure suo cedit utríque bene. *evenit.*

Committo.

Committis scelus, inter se committis amicos,
Et commissa tibi dicta tacenda refers.

Conduco.

Ad tenuem conducit, equos conducere, sortem;

Cond ucit

Conducit laudi, ſi animo quis non Eques æquo.

Conſto.

Cœlum, Aër, Maria, & ſtabili Terra ordine conſtant.
Cætera non conſtat conſtare ex his Elementis:
Fallor? non tanti conſtat Dubium, ut mihi conſtem.

Conſulo.

Conſilium cum poſco tuum, te conſulo; ſed cum
Præbeo conſilium, tibi conſulo; cum ſtatuo, in te.

Contingo.

Contactu inficiunt contagia peſtiferorum;
Contigit & multis, hos contingendo perire.

Convenio.

Convenias reducem, quocum tibi convenit, hujus
Moribus & ſtudiis convenienter agas.

Differre. 1 to differ. 2 to differr.

A nolente parum differt, qui in poſtera differt:
Munea ſive obeat, Munera ſive ferat.

Do.

Do tibi literulas, ut ad hunc, cui mitto, ferantur:
Ad te do, ſed ut à te, cui jam ſcribo, legantur.

Expedio.

Expedit, ut teipſum expedias tricis pedicíſque;
Ut res expedias, ut nihil impediat.

Facio. ſic Duco, Pendo &c.

Non eſt magna loqui magnum, ſic vivere magnum:
Hunc magni facias, qui quoque magna facit.

Habeo

Quantum habeas, tanti, nec pluris, habeberis ulli:
Quanti ſis refert, quanti habeare nihil.

Impono

Impono.

Finem impone dolis, frustra est imponere cautis

Intellige Fraudem &c, est & imponere aliquem humeris, vel alicui onus.

Memini.

Se meminisse valet memori se mente tenere:
Mentio commemorans ubi sit, de se meminisse.

Peto.

Ipse mihi pacem peto, me gladio petit ille.

2

Qui petit, hic cupit, inquirit, proficiscitur, ambit.

Præsto. cum Dat. vel Accus.

Ni te hominem præstes, tibi bruta Animalia præstant.

Prospicio. cum Dat. & Acc. sic Provideo.

Hic mihi prospiciat, qui prospicit omnia certò.

Solvo.

Libero, te quoque solvo; satisfacis & mihi solvis.

Tempero. Ex V. Cl: Vossio.

Temperiem novit, quicunque merúmve, meróve,
Temperat, aut socios temperat, aut sociis.

Illud aqua diluit modum imponit; moderatur; abstinet.

Timeo.

Ne noceas mihi, *te* timeo; *tibi*, ne tibiipsi:
A te, ne noceas mihi; *de te*, ne tibiipsi.

2

Te timeo mihi ne noceas; Tibi ne tibi, quando &
Vis mihi: sola mala est & maxima noxa nocentis.

sic *Metuo*, *Formido*, *Caveo*.

Hostem districto gladio *metuo*, vel *ab hoste*.

Sed

Sed *Puero*, cultro ex districto, *de pueróve*.

EPIGRAMMATA.

Audere. Audire. Oweni.

Si non audires dicentem falsa Procille,
Auderet falsum dicere nemo tibi.

Consto.

Constat, & heu patet, ex dubiis non undíque notis
Constare hæc sacri prælia multa gregis.
An constat certò virtutem & jure vocandam
In dubio constans Dogmate Propositum ?
An constat tanti Dubium constare licere,
Propter hoc officium ut certum abigatur Amor ?

Fugare. Fugere.

Consilium ad sanum surda est insana Libido ;
Occæcat mentem: vísne fugare ? fuge.
Cum nostrî pars Hostis erit,pars bruta, rebellis,
Oppugnétque Animam; vísne fugare? fuge.
Amens, vel Fatuus,Puer, Ebrius, aut Fera pugnæ est
Impar congressus; vísne fugare? fuge.

Opperior. Operio.

Ostia aperta ubi sunt, & mensa adoperta paratur :
Ne Convivator convivas opperiatur.

Ad Convivatorem.

Mensa adopertâ Convivam operiare parumper :
Ostia aperta ubi sunt,neq; Frons neque Mens sit operta.

Pendo. Pendeo. Oweni.

Lis pendet tibi Polle; semel tibi pendere præstat,
Quàm pendere diu; *solve, solutus* eris.

Prædicare

Prædicare. Prædicere.

Astrologus miram & meritò sibi prædicat Artem,
Prædicens ea quæ nemo futura videt.
Sanè hoc Divinum est, modò Divinatio sana est;
Mantica an est Hominem propria nôsse Dei.
Venturi Historicus tam gnarus Chasmata vellem
Transactæ Historiæ suppleat ille bonus:
Certa æquè Hesterna & manifesta ac Crastina; totas
Mundi, hominum Historias respiciendo dabit.

Sed quando? Latini à Divis vel Divinitate Divinationē *Græci autem* Manticen *à Furore dixerunt; illi ornatiùs, hi veriùs. Petr.*

Prodire. Prodesse.

Nil * quadam prodire tenus prodest; datur ultra:
Segnitiem prodit deficere in medio.
Non ultra est fictis inscriptio falsa Columnis;
Plus ultra studiis fit tibi Lemma tuis.

Ubi Tmesis quadantenus, *ut fortè in illo Horatii, ad quod alluditur; certe apud Virgilium, Hac celebrata tenus. In his verò hactenus, eatenus, quatenus, quadantenus, Substantivum* Fine *supprimitur ut eruditiss. Vossius.*

Servare. Servire.

Servat Equum, Ancipitrem, atque Canes, (ita námque loquuntur)
Qui locat his operam, servit an his magis?
Siccine servitiis vulgi se demovet ipsum?
Illum nobilior num Fera nobilitat?
Anne Opus hoc vitæ brevis? est ad otia tantum?
Perdita Luxne istis Fabula noctis erit?
Forsan ad hæc vacat huic, quem cura onerosa fatigat;
His totas, nescit qui meliora, vacat.

Sunt

Sunt pejora quidem, si sitque vacare necesse,
Ad Ludos aut ad deteriora vacas.

Servat Equum, &c.) *Anglicismus hic cum Carmine Anglos præcipuè spectat ; aliàs Equum &c: alit, quanquam & hoc satis Latinum confirmare mihi videtur. Virg.* Hædos pascentes servare, & *Ovid.* Pecudes servare vallibus.

Prospiceo. Provideo.

Non mihi prospicio, nisi prospiciendo futura;
Nec mea provideo, ni mihi provideo.
Cum mea, quando mihi, quid Ego? Deus ipse futura
Solus qui certò, prospicit Ille mihi.

Nisi Ego mihi quis mihi? & cum Ego, mihi quid Ego ?

Refero. 1 to referr 2 to relate.

Curo sollicitúsque, quod *ad me retulit* alter,
Ad curam retulit, nempe fidémque meam.
Audio non ausculto, *mihi* quod *retulit* alter,
Auribus hoc retulit prodiga lingua meis.

Est & referre pedem, *i. e. regredi.* referre gratias *vel* acceptum, *i. e, reddere.*

Vaco.

Me mentis (*a*) *studiis* voluere *vacare* Parentes ;
A (*a*) *reliquisque* vaco, totus ut (*a*) hisce vacem.
Nemo (*c*) *vacat* prorsus, vacuum Natura negabit;
Cui (*b*) *vacat* ad lusus, vix *vitio* ille *vacat.*

(*a*) *Ut operam dem.* (*b*) *otium habeo ,* (*c*) *otiosus est. vacuus est,*

CAP. VI.

De Homonymis Tropicis.

Acies.

CÆſar erit, qui Ferri acie eſt bonus, Ingeniíque;
Sic Xenophonta beat Pallas utráque dote.

Actor.

Eſt, ubi Cauſa agitur, qui accuſat, non reus, Actor:
Perſonam, quando Fabula, quiſquis agit.

2

Actor qui accuſat, Factíque eſt actor & Author:
Crimen agit reus hic, ille reum hujus agit.

Affinis. Vicinus.

Connubio Affines, his eſt affinis Amicus.
Vicinus confinis, & huic vicinus Amicus.

Ala.

Alituum ſunt Alæ, Hominúmque, atque inde Phalangis.

Alienus.

Flere bonis alienis à bonitate alienum.

Anſa.

Anſa eſt ut Cyatho, ſic apta occaſio rebus.

Arduus.

Arduum & haud facile eſt, ut quis petat ardua & alta.

Aries.

Arietat ipſe Aries, Paries labat ariete crebro.

Ars.

Artes ingenuæ atque Scientia gloria mentis:
Artes exercent artubus Artifices.

As,

As non tantm æris, tantùm non portio nulla est:
Ast *ex asse hæres* quanto plus asse valebit.

2

Vix est voce minus, vix est in pondere majus:
Non fundo majus, non datur ære minus.

Asellus. 1 Asinellus. 2 Piscis.

1 Hic nisi verberibus nostrum nil præstat ad usum :
2 Et nisi contusus nihil ille valebit ad esum.

Augustus.

Sacra & fausta, augustáque singula ab Augure facta:
Cæsaris hinc, mensis nomen erátque sui.

Brevis.

Longa brevísque dies, Fluvius brevis éstque profundus:
Sunt absorpta brevi carbasa & in brevibus.

2

Longè Nauta fugit Brevia, & tu non breve flumen.

Bulla.

Bulla *inflata* tumet, sic bulla *inflatus* & auro.

Calamus.

Hic calamos inflat, calamóque hic carmina signat.

Calculus.

Calculus ut numeres lapis, & Renum est, & Arenæ.

Cancer.

Piscis, morbus & est, & constellatio Cancer.

Versus *Cancrini*.

Fit tua mors, tua si perrepat corpora Cancer
Fercula dat mensæ dat tibi Delicias.
Zodiaci modò tu clarescis tramite Cancer
Littore nunc reptas per mare retrogradus

Non

Non sum nescius Martiali displicuisse difficiles hasce nugas, sed non Cancro, non Pueris accommodatas: hæc verò & hujusmodi alia per se quidem non tanti sunt, nisi quòd ad versus componendos puerorum ingenium reddant magis versatile.

Candor.

Candida depingit sine fuco pectore Candor.

Canis.

Non multùm nostro similis Canis ille marinus:
Multum dissimilis Sirius ille furens.

Piscium quamplurimi apud Latinos à figura nobis notiorum mutuantur nomina, ut Canis, Asellus, Locusta, Lupus, Vitulus &c. & Acus, Rhombus, Sudis, pecten, Solea, Turbo &c.

Casus.

Tu casum quereris pereuntis ab arbore lapsu:
Culpa sua est, casu nec periisse nego.

Causa.

Causam à qua res fit, quærit mens nostra, vel ob quam:
De qua lis, causam mittito Causidicis.

Civitas.

Civis incola civitatis & pars.

Classis.

Navibus, Urbe, Scholis coetûs Classis status ordo est.

Cochlea.

Nomen, quæ formam, cochleæ cochlearia sumunt
Multa, imo Cochlea est hospes & hospitium.

1 Testa limacis 2 & ipsa limax, 3 scala sinuosa, 4 sorbendi instrumentum, 5 herba scorbutica, &c.

Comes.

Prælia Dux ducit, Comes atque Ducem comitatur.

 2. Oweni

2. *Oweni.*

Tu Comes es, tibi nemo datos miretur honores;
Cui fortuna comes, dux fuit Ingenium.

Concio.

Concio (cœtus) adit templum,& fit Concio(Sermo.)

Corona. 1 a Crown. 2 Crowd or Ring.

Magna Corona virûm facunda digna corona :
Unius ut Populus pendet ab ore Viri !

Dextra. Leva.

Dextra Auris tinnit, saliítque Oculus tibi dexter:
Dextrum Omen, cui Mens nil, quia læva, sapit.

Dignus. v. infra, & Lego Tego c. 7.

Ille mori dignus, nam indignus qui moriatur.

Discrimen. 1. Differentia 2 Periculum.

Discrimen Pœnæ fluit à discrimine Culpæ:
Magnum in discrimen Crimina magna trahunt.

Periculum.

Nulla quibus pereas vincenda Pericla, periclum
Tu nisi, quo vincas, experiendo facis.

Exactus.

Judicii expensa ad lancem atque exacta senum sunt:
Ut Fructus cum transacti atque exacta sit Æstas.

Exactus *etiam Expulsus. V. Exigere infra.*

Exemplus.

Quorum Exempla dedit vitiorum pessima vita ;
His Mors, Exemplum, & Pœna cavere docent.

Extremus.

An pessum ire vides res, & sors pessima restat ?

Pro

Pro rerum vicibus tu extrema extrema putato.
Maxima sc. esse ultima, sic ultima in malis Ciceroni maxima.

Fabula.

Fabula res ficta est, vulgatus Fabula Sermo.

Facinus. Improbus.

Improba quod vel Mens, vel quod Labor improbus au-(det.
Insigne immane est fas Facinúsque nefas.

Fasces.

Fasces sunt Oneris, fasces qui dantur Honoris:
Fungi at cura minor munere, magna frui.

2

Non ambit Fasces, qui vult se fasce levari:
Sin quæratur Honos non fugiatur Onus.

Finis.

Odit vita suum, petit Actio singula Finem.

2

Consummans Operis, *consumens* Finis Agentis.

3

Fine carebit Opus, cui Publica Commoda Finis.]

Fucus.

Arcet Apes Fucos, Linit & spiramina Fuco.

Funus.

Effertur feretro celebrata ad Funera Funus.

Fungus.

Esca anceps Fungus, comedens homo talia Fungus:

Fungum candelæ emungito.

Ne extinguas caveas Fungum emungendo Lucernæ.

Gemma.

Gemma tumit digitis, turgent in palmite Gemmæ.

Gravis

Gravis. Levis. Bauhusii in comitem leviculum.

Nec volo te, nec nolo; hoc tantum: mî Comes ille,
Qui levis est gravis est; qui gravis est levis est.

Humanus.

1 Errare humanum est, nemo sine crimine vivit:
2 Humanum errantum est & revocare gradum.

| Humanitùs accidit. 2 humaniter facit, *qui comiter erranti monstrat viam.*

Humilis. 1. low 2. lowly, humble.

2 1
Nemo humilis minùs est humili, cum surgat in altum.

Invisa.

Invisa & non visa, & quæ quoque nolo videre.

Iris.

Nomine saltem Iris flos mirandi æmulus Arcus.

Jus.

Virtus prima, omnis sapor éstque in jure ciborum:
Constat summa sui in Jure cuique boni.

2
Quædam olus in dorsum projecit prætereuntis:
Quod jure est factum, jure an homo queritur?

Loculus. 1 à Coffin. 2 a Coffer, *vel Sacculus* a Bag.

Defunctus loculo, loculis nummíque locantur.

2
Qui loculis nullis, loculo contentus Avarus:
Contentus, quando continet hunc loculus.

3
Contentus loculo, cui non loca, non satis Orbis.

| *Unus Pellæo juveni non sufficit Orbis, Sarcophago contentus erit. Juv.*

Macula

Macula.

Corpore fœda nota est Macula, est retísque foramen.

Merus. a, um, solus, purus. *Merum.* (vinum)

Hisce Merum bibitur, quorum mera Patribus unda.

2

Christe Merum facis hoc, quæ mera lympha fuit.

3

Bacchum bacchantem in lymphas Nymphæ injiciebant:
Ne sis lymphatus, sit data lympha Mero.

Dilutum (*Vinum*) *quod aquâ diluitur & temperatur*; Merum *quod immixtum*; Meracius, *quod minùs dilutum.*

Missilia.

Missile (Telum) intrat corpus, cor Missile (Donum.)

Novissimus.

Facta recens, noviter quia facta, novissima dicta.

2 Hugenii.

Si plus bono sit optimum.
Et omne magno maximum,
Quid munus usque novum dari,
Nunquam petis novissimum?

Nympha.

Nympha est Sponsa, atq; est, cui Præses, limpida Lympha.

Obæratus. Hugenii.

Ære domum tegier suades; ego non tego; mirum
Si quis obæratam nolit habere domum.

Orbis.

Urbis designantur in orbem mœnia : Quadræ
Quadratæ quadrant mensæ, Orbes orbiculatæ.

2. Oweni.

In Mundo nil constat, in orbem vertitur Orbis :
Quid mirum Recti quòd sit in Orbe nihil.

Palma.

Pars remi est, Arbor, Manus, & Victoria Palma.

Phaselus.

Contentus modo victites Phaselis,
Quàm spernis vehitur qnod in Phaselis.

Phaselus (vel Phaseolus) *leguminis genus, quo antiquorum vulgus victitabat, ut nostrum fabis & pisis.*

Pictura.

Est Ars pingendi Pictura, est picta & Imago.

Præco.

Præco Foro plebi divulgat jussa Senatûs:
Sola Edicta Dei Præco sacérque Choro.

Prelum. (vel Prælum) 1 Vinarium 2 Typograph:

E Prelo exprimitur vinum, sed quale refundit,
Doctorum Prelum, nobile Nectar erit.

Radius.

Textoris Jaculum est Radius, virga & Geometræ,
Et Radios Solis lucida tela vocas.

Rarus. Heraclitus redivivus D.K. D.

Rara & præclara est Densi atque Scientia Rari;
Rarò nota, sciens Mystáque rarus erit.

Ratio.

Villicum obæratum vix exigis ad rationes:
Non est solvendo, cum ratione facit.

Est autem Ratio *hic*, 1, *ratiocinium*, *supputatio* 2, *causa consilium actionis. alibi*, 3, *Facultas unde homo rationalis*, 4, *via*, *modus agendi*, 5. *ars vivendi.*

Robur.

Roboris ad vires nostras nomen datur impar:

Cui

Cui validum est Robur, non est cum Robore certet:

Sal.

Sermo sapit salibus sparcus, cibus ut sale tinctus.

Salus. Oweni.

Opto tibi multam, nullam tibi poto salutem:
Est potior pota sicca salute salus.

Scrupulus. (vel Scrupulum.)

Scrupulus est minor in libra, pede, mente lapillus.

2

Ire pede hic ægro *pergit*, quem scrupulus urget.
Mente ægra officium *peragit*, quem scrupulus angit.

Sol.

Sole Dies lucente fit, inde Dies quoque Soles.

Sors. Oweni.

Sorte tua contentus abi; rem fænore turpe est
Quærere; contentus vivito sorte tua.

Summa, capite, primâ pecuniâ. the Principal.

Secundus. Hugenii.

Habere se dolet miser, quod non habet:
Habet secundas non secundas nuptias.

Superbus. Oweni. v. Etym.

Exegit Regem nova Roma superba Superbum:
Quid mirum? Reges nemo superbus amat.

Tempestas.

Tempestiva sua quæ tempestate geruntur:
Tempestas Hyemis tempore fitque suo.

Tempora. Hugenii. v. c, 4. & et.

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis:
O Mores, Virgo, ô Tempora dicat Anus.

Testudo

Testudo.

Nobilis est testa Testudo: nomine nota est
Et convexa Chelys, & Laqueare suo.

Tibia. Hugenii.

Corporis harmonicè concordent artubus artus:
Esto; sed harmonicum Tibia nomen habet.

Uber.

Uberibus pecorum fæcundus, & ubere gleba.

Velum.

Ornant Vela rates, velúmque pudórque puellas.

Venia.

Qui veniam[1] dat agenti, non veniam[2] dat agendi.

1. *Impunitatem, culpæ remissionem.* 2. *Licentiam.*

Virtus. Vitium.

Personæ atque Rei Virtus simul est Vitiúmque.

Ulna, Hugenii in Furem.

Chærea dives homo est, ulnarum quippe duarum
Amplexu, quantum Chærea clausit, habet.

Vocalis &c. Ejusdem in clamosos Musicos.

Vocalis ista Musica est, non *Consonans*,
Liquida est? nec illud, ergo quæso, *Muta* sit.

Votum.

Damnaris votis, si ex voto res bene cedat:
Æquum est servatus servet ut ipse Fidem.

1 *Sponsione Deo factâ.* 2 *cum voti compotes simus.*

Alumnus. alit & alitur.

Terra hæc, quam pedibus terimus, communis Alumna est.

Alma prius genuit, semper fovet ejus Alumnos.

Fides. 1 Fidelitas. 2 Fiducia, confidentia.

Promissis servato Fidem, túque esto fidelis:
Ut tibi quis fidens possit habere fidem.
Non perdit, nisi qui non habet ipse Fidem.

Gratia. sic & *Gratus.*

Quo dare nec melius potero, nec reddere quidnam est?
Gratia magna refertur ubi, & mera Gratia donat.

Hospes.

Excipit ignotum, excipitur peregrinus & Hospes.

Munus. 1 Officium publicum. 2 Beneficium publicum.

Munia tu præstas, adsunt neque Munera *præsto*?
Ut munus *præstes*, quam munera sumere *præstat.*

Officium. opificium.

Officium præstat, qui fecit opus, vel opem fert.
(a) 2 (b)
Officiis sis munis in immunem officiorum.

— (a) *Beneficiis, obsequiis.* (b) Ἔργων *in eum sc. qui Artis & victus ratione destitutus est.*

Solum.

Quæ durum est pressura Solum, Solea est quoque dura:
Levis & æqua pedis subjicienda solo.

Altus

Alto monte habitas? Fonte aut puteo est opus alto.
2
Ex alto Navis citò præcipitatur in altum.

Altus. Profundus.

Infima miscentur summis, Alto atque Profundo:
Nunc altum Mare, nunc Cœlum legimúsque profundum.

Crudus

Crudus.

Crudum de Stomocho dixeris atque Cibo.

Gratus. Ingratus.

Aut ingrata aut ingratis sua munera spargit
Ignotus vel non agnitus orbe Deus.

Surdus. sic *Cæcus* & plura ejusmodi alia.

Surdus non audit, sed quod non sentio surdum est.

Perdo.

Ut (*a*) perdas alios, insanum est (*b*) perdere vitam.

(*a*) *Perimas, interficias.* (*b*) *propriam pereundi periculo minimùm objicere. est &* adolescentem perdere. *i. e. corrumpere* tempus perdere.

Olim. sic *Quondam. Aliquando. Modò.*

Dura olim passos olim meminisse juvabit.

1 2

Olim te studuisse, olim meminisse juvabit.
Olim te lusisse, olim meminisse pigebit.

Absolvere.

Delictum est, cujus me vix absolvere possum,
Absolvam nisi quod mens mea dictat opus.

Agere. sic & *Facere* usus multifarii.

Res, Causæ, Grates, Currus, & Fabulæ aguntur:
Jámque age, & ante animam fortem agetate virum.

Appetere.

Appetit hora cibi, & stomachus cupide appetit escam.

Arguere.

Argutè arguis, atque redarguis argumentis:
Argueris facti, Dicta quid ergo valent.

Audire.

Qui neque Patrem audit, malè certò Filius audit.

Cædere

Cædere.

Cædo canes baculo, virgâ pueros, neque lædo:
Cædo necans homines, robora cædo ſecans.

2

Robora cædo ſecans, hinc *cædua* Sylva vocatur:
Hinc *Cædes* hominum ſæva, ubi cædo necans.

Carpere.

Carpendo infames noli tibi carpere famam.

2

Carpat qui exuperat, mihi mens decerpere fructus:
Nam ſi carpo Librũ, ſolũ ego carpo Librũ. *i.e. corticẽ.*

Celebrare. in natalem Chriſti. Phil. 2. 7. 12.

Fac celebres celebrem ſuper omnia Nomina Chriſtum,
Feſtum ejus celebrans Religione Diem.

Cogere.

Cogimus invitas, & in unum cogimus agmen.

Colere. ſic *Cultus* Terræ, Corporis, Dei.

Terrenum illa colat Corpus, Terram ille Colonus:
Incola ſpe cœli Numen at ipſe colas.

Conciliare. 1. reconciliare. 2. comparare.

Fratres concilia diſcordes; inter utrumque,
Ex utroque tibi conciliatur Amor.

Condere.

Componens quidvis, muros, abſcondita condo.

Conſiſtere. Conſto ſupra c. 5. & Et Fors.

Ad metam Curſor, medio coſiſtere virtus
Dicitur, & liquefacta & mox ſpiſſata metalla.

Corripere. I. H.

Ira furor brevis eſt, brevis eſt mea litera; cogor
Irâ correptus corripuiſſe ſtylum.

Declinare

Declinare.

Declino occasum versus vergens, neque Morbus
Declinandus erit, Mors nec & ipsa Seni.

2 Incerti de Grammatico.

Omnes Grammaticos novit, veterésque Poëtas:
Declinare tamen non potuit Tumulum.

Decoquere. Oweni.

Rem decoxit iners Chymicus, dum decoquit aurum:
Et bona dilapidat singula pro Lapide.

Despicere.

Despicit, & sine despectu, nos Cœlica Turma.

2. Hugenii ad Aulicum.

Aspicis hunc cœli Solem ? quacunque movetur,
Despicit, at certè despicit ille nihil.

Deperire.

Deperit æternum, qui deperit ista caduca.

2. *Hug. Grotii.*

O hominum amentes mentes, nec inanium inanes;
Quæ miseri miserè dum pereunt, pereunt.

Durare.

Dura diu durant, durantur Corpora duris,
Non tritus trito pes calle occalluit ipso.

Excipere.

Indigus indignus non est, miser est miserandus:
Excipias nullo excipiendo inopes.

Exigere. Examen.

Pondus ad examen sibi quisque examinat; illud
Exactum, quod ad hoc exigitúrque vocat.
2 Exigit ipsa Examen apum Regináque fœtus
Exactus novus est, ut nova tecta petant.

1. Pensando

1 *Pensando exploratur.* 2, *extra agit, abigit, sic* exacti Reges *Cic.* i. e. *expulsi &c.* 3, *est &* exigere *vi petere, unde* exactor ; *sed quasi jure rem postulare,* expectabo, vel potius exigam. *Cic. sic* exigere debitam pecuniam, pœnam &c.

Exponere. 1 to expose. 2. to expound.

Queis altum expositum est exponit Nauta periclis,

Exprimere.

Exprimat ut de te affectus, quisque exprimat in se.
Si vis me flere, dolendum est ipse tibi.

Ferre.

Tu mala pauca feras, ut bona multa feras.

2. *Buchanani ex Græco.*

Si te fata ferant, fer fata; ferere: ferentem
Fata ferunt; rapiunt, si minus illa feras.

Jactare.

Æquor non jactat jactatus naufragus æquum.

Imponere.

Huic facilè imponas, tibi qui fidit malè cautus :
Clitellas Asino imponere nempe solent.

Incubare.

Incubus est Morbus stomacho, atque Avis incubat ovis.

Incumbere.

Incumbas studiis, incumbit Arator aratro :
Ne succumbe, leve est quod bene fertur Onus.

Judicare.

Judico jus dico, judicium & facio.

Legare.

Munere quo fungi ipse nequit, Rex legat agendum:
Et bona Testator, queis nequit ipse frui.

Legere.

Legere. (ornet:
Dum lego; quod juvet hinc aliquid lego, & inde quod
Vel Vocum Flores, vel rerum colligo Fructus.

Libare 1. leviter. gustare. 2. sacrificare.
Delibo liba, atque Deo libamina libo.

Obire. 1. mori 2 exequi. perficere.
Ut bene mortem obeas, obeas bene numera vitæ.
Est & Obire 3. circuire. 4. obviam ire, convenire aliquem.

Offendere.

Offendit Gemmam, quod mirum, in stercore Gallus:
Se gemmâ offendi res neque mira tamen.

2

Doctrinæ offendit Gemmam, at de stercore vulgus
Grana sibi mallet, gemmáque offenditur ipsa.

Palpare. 1. leniter tractare. 2. blandiri.
Omnibus Assentator ubique assentit, & omnes
Palpat, cautè ulcus tangere nempe timet.

Probare. probum 1 judicare 2. experiri.
Singula sunt gratè gratis data Dona probanda.
Hinc datus haud licet ex ore probetur Equus.

Putare.
Non pejor, puto, Planta, Puerve, ubi multa putanda.

2 Hugenii in H. Grotii instit. Juris Holland.
Quæ Patriam observat Grotius servare, reservat:
Quæ putat in Patria non patria esse, putat.

Remittere.
Qui non condonat, facilèque remittit Amico,
Vel qui non donat, nec amico dona remittit,
Non amat intensâ, virtute amat ille remissâ.

Rogare,

Rogare. sic *Quærere. Petere.*

Indignus, ignarúsque rogat; capiátque ut utérque:
Ille manûs capiat, mentis ut alter opes.

Sapere.

Qui sibi non sapuit, non est sapiens satis ille:
Est loquus insipiens, si sibi non sapiat.

2

Rixa domi est, Canis aut si rodat edulia Feles:
Culpa sua hæc tota est, hi sibi quòd sapiant.

Servare.

Huc servantur opes, ut servent: ínque pericla
Plures produntur quam redimuntur eis.

Solvere. Hugenii. Debitores incarcerati.

In ære dudum, nuper in ferro sumus.
Qui solvier vult, solvito:

Spargere. vel arida, vel liquida.

Semina diffusim jacientes spargimus hortis :
Aspergemus aquas, arida si sit humus.

Spectare.

Ad te quæ spectant, fas te spectare vicissim.

Sufficere. 1. satis esse. 2. Substituere :

Nemo sibi satis est, nec sufficit omnibus unus
Officiis; opus est sufficiat Socium.

2

Cum tot Legatus non sufficit unus agendis;
Huic Collega comes munere sufficitur.

Tueri.

Aspicit ipse malos Deus, horum ausa (1) ínque tuetur
Atque (2) tuetur ab his prospiciendo bonos.

1 *Intuetur et*

1 *Intuetaret animadvertit in malos, ut judex & Vindex.* 2 *ut Tutor, tutos præstat.* Tueri *autem simplex in priori significatione vix reperitur.*

Valere. Vale. ad Medium suum V. Cl. I. B.

Qui facis ut valeant omnes, quanti ipse valebis!
Ut valeant alii, valeant tua, & ipse valeto.

2

Longinquum est longúmque vale, vale, inter amantes;
Ut valeant, quantum vota benigna valent.

EPIGRAMMATA.

Acies.

Ferri non acie sed Mentis vincere virtus.
Firma, humana, homines quæ decet atque pios.
Quantillum est hominis vicisse imbelle Cadaver?
Taurus quod poterit, quod rabidúsve Canis.
Causâ, confessos Animo quæ subjugat hostes,
Vincere, parte alios & meliore sui:
Hæc sic Doctrinæ victoria, & hæc Pietatis,
Grati vincuntur qua sine cæde viri.

Bulla.

Quanta inflant tumidos! Pluma, Annulus, aurea Bulla
Sic Bullas inflat Ventus & Aura levis.

Calamus.

Hic calamos scribit magnorum gesta virorum,
Hic calamos inflat, & sua scripta canit.
Doctorum calamos, doctósque, odit metuítque;
Qui neque digna oculo, digna nec aure facit.

Cancer

Cancer.

An melius Morbum Cancer, quàm Sidus adumbret,
Dicant Astronomi, Medici num vera loquantur.

Candor. Hugenii de Foco è cespite.

Ignibus exustâ turpi nigredine, ridens,
Nobi le & illustre est terrea massa lutum.
Ipse quod accenso candens in cespite splendor,
Ipse sub humano pectore Candor agit.

Canis. Ausonii ex Græco.

Trinacrii quondam currentem in littoris ora
Ante canes leporem cæruleus rapuit,
At Lepus, in me omnis terræ pelagique ruina est:
Forsitan & Cœli, si Canis astra tenet.

Captus oculis.

Ex Aspectu amor est, cur ergo cæcus amans est?
Captus nempe oculis est, quia captus erat.
Imperet his oculis mens, non capietur: at amens
Omnis amans, captus Mente, quia est Oculis.

Casus. Hugenii de Suspenso.

Nulli imputanda culpa mortis est meæ.
Videre testes mille; casu contigit.

Dextra. Læva. Ejusdem de Mutilo manu dextra globo ferro ablata.

O si dextra minùs, quanto mage dextra fuisset,
Quæ nunc læva minùs, Sors mihi læva fuit!
Certè læva magis, non tam malè læva fuisset,
Quæ sic dextra nimis, non bene dextra fuit.

Dignus.

Hoc ut agam vitam, quid magnum? Animalia vivunt.
Dignius hæc vita, dignum Homine & quid agam?

Dignus, ut & ἄξιος etiam in Sacris, non semper τὸ ἴσον, sed qualemcunque τῆς convenientiam notat. Grot. in Mat. 10. *Dignus Domino Servus Plaut. simplicitas digna favore.* Ovid. *dignâ formâ, &c.*

Indignus.

Indignum tali seclo, cum dixit Erasmus
  Thomam, hoc indignè vixque ferunt Monachi.
Sed dignum dicat Thomam, dignum esse Capistro,
  Et Monachos; placet hoc, salvus Erasmus erit.

Falsus.

Fallitur, haud fallit Falsus, fato sibi justo,
  Rupta semel nunquam est non dubitata Fides.
Dum simulans credit sibi credi, fallitur; atque
  Spem fidei ex veris dum sibi serò capit.

Qui fidem aliorum in aliquibus fallit, in omnibus suspendit. Falsus *autem fallax est & mendax: Hæc enim,* Falsus, Contentus, Circumspectus, Consideratus, Disertus, Discretus, Excelsus, Profusus *à Passivis significant Activè; ut* Cautus *&* Tacitus *à Neutris.* Testatus, Mentitus, Meditatus, Oblitus, Adeptus *&c. à Deponentibus Passive quandoque significant.* Fernab. Gram.

Gravis. Hugenii de palliato.

Pegase, non pluit, & sudum est. quid onustus amictu es?
  Hunc Gravitas, inquis, publica ferre jubet.
Quàm levis es, qui, quò gravior videaris, oportet
  Tute tibi adscita sis gravitate gravis.

Humilis.

Non abjectè humilis sit Cœli Filius atqui
  Sit dimissè humilis; Filius est & humi.
Et pedibúsque licet terat hanc quæ sustinet ipsum;
  Est Homo, vivit humi, pabula præbet Humus.

Est

Est Humus, est & humum; vorat hanc, ab eâque voratur;
Et mundandus homo fiet humatus Humus.

Jus.

Jus dare cuique suum, & Natis Frustula cunctis
Mater partiri ; est Jus dare cuique suum.

2. *Oweni.*

Esuriens Fratri omne suum Jus vendidit Esau :
Jacobus Fratri Jus dedit omne suum.

Lingua. Dona Linguarum.

Cujusvis gentis linguas lingua una locuta est :
Unica, ais, loquitur; unius has loquitur.

2. Lingua maris *i. e.* Sinus. 2 Terræ.
1. Promontorium.

Versat Causidici se Lingua, ut lingula libræ ;
Inclinat majus qua sibi pondus erit.

Livor. 1 Color ex contusione. 2. Invidia.

Inflicto nobis ex verbere Corpore Livor ;
Mentis livorem sors alieni facit ;
Sorsqne secunda facit; Vicini sorsque secunda:
Monstrosæ causæ, mens quibus ægra foret.

Ludus.

Utilis est Ludus Musarum , & honesta Palæstra ;
Sed nisi jucundus sit , neque Ludus erit.
Vapulet, in Ludi quoties Puer artibus errat,
Nullus non Puero ludus acerbus erit.

Lupa.

Pernicies pecorum Lupus; est Lupus noxia pejor
Corpore venali fœda merens Meretrix:
Cujus spurca hara prostibulúmque est turpe Lupanar ;
Hæc Lupa sternit opes, corpora, & hæc Animas.

Lupus verò est & 3. Piscis omnivorus 4. Frenum (quod etiam lupatum) & instrumentum aduncum 5. Lupus salictarius (vulgò Lupulus) Hops. 6. Item aranei genus.

Merus. Merum.

Est Vinum liquidum, Vitrúmque; ut non liquet, ipsum
Vinum sitne Merum, Vitrum an utrumque merum.

Res. Bona.

Res sunt divitiæ: *modò* rem, quocunq *modo* rem
Quærito; ni tibi Res, es nihil, aut nihili.
Hoc minus, & Bona sunt; minus hoc, sola & bona summa:
Væ quibus hæ Res sunt, væ quibus hæc Bona sunt.

Væ vobis divitibus. S. Luc. 6. 24.

Robur.

A vi fit virtus: benè: Sceptra huic Romáque debet:
Hinc noménque habuit Roma superba suum.
Sed virtúsne virûm Robur? num in Robore virtus?
Num in Roma? hic, quoniam hic non licet esse pium.

à ῥώμη robur, unde Valentia olim dicta est.

Sales. Hugenii.

Ut sapiat niger, & possit mordere palatum,
Bis bonus est, si Sal candidus & bonus est.
Si liceat mordere, mei conviva salini,
Prode simul sapidos candidulósque Sales.

Sanguis.

Sanguine constat Honos. tituli ídque insignia clamant,
Jactat se soboles sanguine nata Patrum.
Quanti sanguineum decus hoc, & sanguis avitus!
Tanti ô si sit Vir sanguinis ille Deo.

Secundus

Secundus.

Eos ducit eos, favet hisque Favonius: omnis
Nauta trahi ventos ad sua vela cupit.
Primò aliis optet ventum, sibi quisque secundò,
Utrique & Ventus fortè secundus erit.

Fortuna Secunda.

Exitus acta probat? careat successibus opto,
Cui virtus fœlix dicitur esse scelus.
Non præcessit opus, sequitur Fortuna Secunda;
Antea nec factum justius inde facit.
Consiliis, Mediis & iniquis, nec Duce fato.
Gesta beat Deus? est Pœna, quòd illa sinat.

Textum. Textoris.

Quæ mea sunt repeto, rerum satagóque mearum :(xtū
Quæ Textoris ago, quando fusè explico & applico Te-

Carmen Textoris Sermonibus non incommodum, non digitis sed cubito metiendum.

Ad Textorem.

Tramite perge tuo, subtexas stamine *tramam*,
Non *ritu* veteri, tu neque *rite* facer.
Telàm ultra Textor, textum ultra Præcoque nimisque
Præcox, Arte magis fungere Funge tuâ.
Jure tuum *repetens repetas* tu nil nisi Textum;
Ex Textore malo est non ita Præco bonus.

Tibia.

Pulsatur digitis rustica Tibia.
Pulsátque auriculas percita Tibia.
Pérque aures penetrat pectora Tibia.
Mox commota movent pectora Tibias.
Pulsat deinde solum cum pede Tibia.

Pulsant, pulsáque sunt utráque Tibia,
Donec vel sileat garrula Tibia,
Vel saltus renuat languida Tibia.

Umbra. R. C. Epigr. Sacra. Act. 5. 15.

Conveniunt alacres (sic, sic juvat ire sub umbras)
Atque Umbras fieri (creditis?) Umbra vetat.
O Petri umbra potens! quæ non miracula præstas?
Nunc quoque, Papa, tuum sustinet ille decus;

Hospes. ad Amicum hospitalem.

Sum tuus Hospes ego, tu rursus & es meus Hospes.
Cur uno junctos nomine cerno duos?
Mutua an hæc domus est? mea quæ tua? me quoq; traxit
Huc meus, ut maneam me tuus urget Amor.

Perdo.

Perdet Halyn Crœcus. sic Græsum perdit Apollo;
Cautè, ne veterem perderet ipse fidem.
Responsum ambiguum sibi vocula suggerit anceps,
Spe Victor, victus Rex ita perdit Halyn.

Numen lævum *Virgilio.* 4. *G.* 7. & Ἀπολλύων. *Rev.* 9. 11. Dejovis, *non* Dijovis, *cuivis in lædendo non juvando potens.* *A. Gell.* 5. 12. *ex D. Ham.*

2

Christe tuum est, alios ut serves, perdere Vitam;
Anne tuorum alios perdere vita foret?
Privatus propriis *privatus* túque latebas:
Prædando quærent anne aliena tui?

Agere. Martiel. Ep. 1. 80. in Attalum.

Semper agis causas, & res agis Attale semper;
Est, non est quod agas; Attale semper agis:

Si

Si res & causæ desunt, agis Attale mulas:
Attale, ne quod agas desit, agas animam.

Declinare. Bauhusii.

Grammaticam Christi paucis te, Celse, docebo,
Totam scies & feceris.
Si luxum, & Bacchum, si Cyprida declinâris,
Mala nomina, ah! mala nomina.
Si per *Ego* plorare, pati, vigilare, precari,
Bona Verba conjugaveris.

2 Hugenii, de mortuo ex accenso pulvere pyrio.

Homo destinatus pulveri, de pulvere,
Qui pulvis est, in pulverem it per pulverem.
Ne sperne declinationem pulveris,
S calluisset hanc homo ille, viveret.

Despondere.

Despondétne animam Sponsor, quasi perdita Gnata est;
Cum despondetur Sponsa locanda viro?
Affinis parit ad fines veniens alienos,
Hæc Generos illi congeneréſque parit.

Ducere.

Uxorem ducit Vir, & illi Fœmina nubit,
Vitæ nempe Duci est fæmina nupta viro.
Uxor quem ducit, nimis est uxorius ille,
Ducitur & parvi, vix dabis esse Virum.

Emergere.

Majores tribuunt tibi pisces Flumina magna;
Majora ex Aulis lucra petenda putas.
Haud facilè emergit, cui res angustæ: sed alto
Ne submergaris flumine, cauto opus est.

Legere.

Legere.

Mira cano, Textor legit! & ſenſu improbiori.
Sermones Soceri nunc legit ille ſui;
In dotem ſed cùm dentur cùm Conjuge ſcripta,
Ecquis Sacrilegum dicere jure poteſt?

|| *Non legit ut Clericus, ſed ut Plagiarius.*

Offendere Galli,

Offendo gemmam offenſo pede: quid mihi prodeſt
Splendida Gemma? oculis méne ego paſco meis?

Ad Gallum.

Hordea ſcalpturias è ſtercore ſingula Galle,
Gemma mihi cumulos, horrea téque dabit.

Plectere.

Aures non mulcent Cytharæ, quæ pollice duro
Pulſantur, mentes mollia Plectere movent.
Virgarum Pueris vix perſuadebis amorem;
Vix ut & amplecti & plectere poſſit Amor.
Patris utrumque licet ſit: amat, ſed fortiter, ille;
Nec, dum caſtigat, deſiit eſſe Pater.

|| Plecto à *Gr.* πλήττω *percutio, punio, unde* Plectrum *quo fides pulſantur.* Plecto *nunc obs à Gr.* πλέκω *plico, unde* Amplector, Complector, Im- & Perplexus, Simplex, &c.

Rogare.

Eſtne verecundum Rogo dicere? at aio pudere.
Præſtat, quàm ut pigeat; non miſeris Pudor eſt.
Sæpe rogare pudet? ſæpe ignorare pudebit:
Quando hoc nec pudeat, ſæpe rogato Puer.

Sapere.

Divini hiſce Tomi, his divina Tomacula porci;
Ille palato acri, corde ſed ille ſapit.

Quis

Quis vini ſapor, & turdorum nôſſe ſalivam,
Inſipidum ſapido cernere & hoc ſapere eſt.

2

Nec ſapias, morbus poterit vitiare palatum:
Res, ut ſunt, verè qui ſapit, ille ſapit.

2 Hugenii, de Aceto.

Corrigitur languens accido lactuca liquore.
Et ſapit: adverſis, mollior ante, ſapit.
En ut ſcintillat vinum! ſed cur pede vitri.
Serpens? hoc fingens ſeria fortè monet.
Crapula Serpentis morſus. Salomona referto;
Ille bibit; quod erat, nec minus ille fuit.
Diſplicet hic Salomon? facias vel Apolline digna;
Sæpe minùs, vini plus ſapiendo, ſapis.



C A P.



CAP. VII.

De Vocabulis merè Consonis.

Æstus. Astus. Mars Ars.

USque valent Armis Æstus juvenúmve, senúmve
Astus, Vis bruta est Marte, vel Arte Dolus.

Amans. Amens. Stupor. Stuprum.

Omnis amans amens, insanus corpore sano:
Et stupor est stuprum, Venus atque venusta venenum.

Ara. Arrah.

Arrhas grati animi posuere antiquitùs Aras:
Grates perpetuas hæc Monumenta monent.

Arcere. Arcessere.

Arcent prudentes, non arcessunt sibi damna:
Dignus qui pereat quisque pericla petens.

Avis. Navis.

Navis Avísque viæ vestigia nulla relinquunt.

2

Aëra transit Avis, tranátque per æquora Navis:
Huic Remis, illi remige penna opus est.

Bellum. Bellaria.

Corpora cæsa virûm in Bellis Bellaria Martis.

Canorus. Canus.

Cana Senecta gravis, levis atque canora Juventus.

Dicio. Seditio.

Unde est Seditio? ditum ut dicione potiri
Qui poterit Raptor, ditior ipse foret.

Documenta.

Documenta Nocumenta. παθήματα μαθ.

Quod nocet his, prodest cautelam dum docet illos;
Tutiùs hoc sapere est, viliùs, atque brevi.

Exalto. Exulto.

Exultant, quos exaltat Fortuna Secunda.

Facies. Faces:

Flammas dixerunt Veteres, atque ætheris Ignes
Stellas, de facie cernitur esse Faces.

Fatum. Effatum.

Fatum effatum Hominis, nulli stat Numen iniquum.

Fatum. Fatuus. Oweni.

Fata regunt fatuos, Sapiens dominabitur astris:
Non fatum, ast fato se regit ipse suo.

Festina. Festiva.

Non festinabis Festa ad festiva vocatus:
Ut *morémque* geras, non facienda *mora* est.

2

Qui festinat opus; non hunc festiva morantur:
Mores atque *moras* nam prohibebit Opus.

Flagrans. Fragrans.

Dum flagrat, fragrantior est, ut Aromata, Virtus.

Flamem. Flamma.

Flabelli flavæ flagrabunt flamine Flammæ.

Fur. Furfur.

Furfure Fur, opera *pollens* sed *polline* dignus.

Perplura sunt hujus generis, ut Mas, maſsa, Cras, craſsus, Mens, mensa, Dens, densus, &c.

Generosus. Gener. Genius. Ingenium,

Si Gener & Genitor, sit nobis, est Generosus,
Si neque digeneres, tu Generosus eris.

Si Genere & Genio sis nobilis, es Generosus:
Ingenio ingenuus sis, Generosus eris,
Herba. Verba.
Est herbis virtus, est verbis: vi sine Virtus
Hæc quæ nec vita, quæ neque corde sita est.
Hirudo. Hirundo.
Hæret Hirudo cuti, tectis & adhæret Hirundo.
2
Non missura cutem, nisi plena cruoris, Hirudo:
Non missura domos, dum musca menebit, Hirundo.
Historia. Histrio.
Historia exponit res gestas, Histrio gestus.
Honos. Onus.
Flatus Honos levis est; Onus & grave munus honoris.
2
Fructus honos oneris, fructus honoris Onus.
Impero. Impetro.
Imperat: & quod vult amor impetrat à redamante.
2
Impetrat id subito, qui nudato imperat ense:
Actutúm est actum, dictum sibi cum tibi factum.
Index. Vindex.
Est index Gemitus, vindex idémque Doloris:
Sic Dolor inclusus cogitur ire foras.
Invito. Vito.
Vito, non invito novam, tolerando priorem
Offensam; vinco sic bonitate malum.

Jocus. Focus.

Tempestate foris operas prohibente Coloni,
Tempestiva domi sunt Jocus atque Focus.

2 Bauhusii.

Multi de inferno stygiáque palude jocantur;
Sed vereor fiat ne Jocus iste Focus.

Jus. Vis. Silii Ital.

Vis colitur, Juríſque locum ſibi vendicat enſis.

2

Liturulâ an vis vocalémque & conſonam eâdem?
Jus & Vis Senſu quámque remoto Sono!

3. Oweni.

Vi Jus adverſum, vis adverſaria juri:
Adverſum, inverſum nomen utrumque ſibi.

Legere. Tegere.

Vatis an eſt proprium nudare pudenda pudici?
Quæ ſunt digna tegi, non puto digna legi.

Lætus. Lethum.

Letho quiſque vetat lætum, quis funere fletum?

Libri. Liberi.

Palladis è cerebro Libri ceu Liberi habentur:
Et Plagium meritò furtum utriuſque vocant.

Lux. Luxus.

Luxus lucem odit, luxûs Lux turpia prodit.

Mars. Mors. Oweni.

Omega noſtrorum MOrs eſt, MArs Alpha malorum:
In bello diſtant Omega & Alpha parum.

Mens.

Mens. Mons.

Mentes felici in ſcelere eſt Montes removere.

Mons. Fons. Sch. Sal.

Manè petas montes, ſed ſerò viſito Fontes.

Altior effundit quem Mons, hic purior eſt Fons.

Mons. Fons. Pons.

Dejiciunt pluviam Montes, Fontéſque tumeſcunt,
Aſtruimus Pontes, tranſitus inde datur.

Naſcor. Nanciſcor.

Quàm naſci, præſtat nanciſci Nobilitatem:

Natio. Natalis. Natura. &c.

Natio Natales ne hæc ditat maxime natu,
Natura an dederat nativa ſorte priorem?

Nequam. Nequaquam. Nequis &c.
Nequitia ſocius nequaquam ſit tibi nequam:
Ne quis, quo bonus aut doctior eſſe nequis.
Nidus. Nodus. Nudus.
Nidos ſuſpendunt, quaſi nodos quiſquiliarum,
Ut nudos pullos ſic tueantur Aves. *Nix.*

Nix. Nex. Nox. Nux.

Nix est alba, Alpes niviæ, montésque prægalti.
Nex violenta est mors, sanguine rubra suo.
Nox atra est, nigræ telluris & umbra tenebræ,
Nux fusca, in nucibus nam placet ille Color.

O si! O si! dicunt ociosi.

Votum est fœmineum oscitantis, ô si:
O si, vociferantur ociosi.

Panis. Pannus. Victus. Amictus.

Contentus pane & pannis, victúque & amictu,
Cui modus; & modicum quisque modestus amat.

Parcus. Porcus.

A parco, ut Porco, defuncto commoda quæras.

Pessum. Pessulus.

Pessulus obdatur curant pessundare Fures.

Præmium. Premo.

Dum mala magna premunt, patientum præmia pensa.

Salum. Salus. Arx Arca.

Unica sola salúsque salo, quando Arx fuit Arca.

Scurra. Scoria.

Scurra facetus erat, nunc mensæ scoria vilis.

Senio. Senium.

Constituit senium decimarum senio justum.

Spiro. Spero.

Dum spiro, spero, dum spero spiro vicissim:
Spes fida est animæ Spiritus ipse meæ.

2

O quis non sperat, spirat dum Spiritus anceps!
Qui fuerat Boreas, forsan erit Zephyrus.

Tolere. Tollerare.

Tollere quæ nequeas incommoda fas tolerare:
Tollitur è damnis nam tolerando malum.

Tortus. Tostus. Hugenii.

Sum Febri tostus, crebro medicamine tortus:
Torquet hoc, hac torretque altera quæque dies.

Vicus. Vices. Vicia.

Vicinos unit vicusne, vices an egendi?
Si vicias vinxit mutua debilitas.

Vindico

Vindico. Vendico.

Vendicat (Hæc mea sunt, veteres migrate Coloni)
Arma tenens; dedit huic omnia, justa negans.
Vendicat hic, & in adversantes (*a*) vindicat ultor;
(*b*) Vindicat atque à vi, vi sine, nemo suum.

(*a*) *Animadvertit* (*b*) *liberat, ut vindicare sit vi impetere, vel vi repetere. Vendicare autem, ut jure suum postulare.*

EPIGRAMMATA.

Anglus. Angelus. Angulus.

Angelicas facies Papa olim vidit in Anglis:
O si jam tales quisque videre queat!
Rectiùs Orbe hos divisos tenet angulus Anglos:
O si divisi tantùm & ab orbe forent!

Convicium. Vitium.

Debita sunt meritò Vitiis Convicia solis:
Qui miser ille piis & miserandus erit.
Deformem, Fatuum, Spurium, quem Uxor dehonestat;
Bis miseros sua sors, probra aliena premunt,
Non emendandas tu noli carpere mendas,
Nec vitio vertas fortè tuum, absque tuo.

Vt Gibbam, Claudum &c. etiam Calvum, 2 *Reg.* 23. 24.

Devita. de Vita. Tit. 3. 10.

De vita Hæreticum, tu tantum intellige, tolle ;
Tollitur è vivis quilibet Hæreticus.
Non placet hæc mihi pace tuâ distractio vocum ;
Ut tollas Homines, addere Verba nefas.
Hæreticus vivat, rescipiscat; nulli Sepulchri
Spes, ut non maneat qui perit *H*æreticus.
Devita *H*æreticum, de Vita tollere noli :
Sic illi Charus, sic tibi cautus eris.

Ferula. Virga, &c.

Ferto feram Ferulam, feralem porrige Virgam,
*H*isce etenim Puer, ut vomere, Terra ferax.
Solis Planta viret vi; lentè, non violentè.
Virga regit vi, num vi quoque Virga viret ?

Fragra. Fragrantia.

Serpillum, serpunt & humi fragrantia Fragra:
*H*æc carpens flexo polite serpit humi.
Sese inclinat humum versùs tollénsque jacentem,
Qui magis est humilis, nec minús altus erit.

Hospes. Oweni, de Iro.

Qui Mensâ excipitur, quíque excipit *Hospes* utérq; est:
Sum multorum *Hospes* , nullius *Hospes* Ego.

Sed

Sed Contra.

Ex Iro Cræſus, qui plures fecit & Iros,
Eſt multorum *Hoſpes*, nullius *Hoſpes* erit:
Eſt Ditum ingratus, non invitatus & *Hoſpes.*
Pauperis, Ingratus, nullius *Hoſpes* erit.

Libri, Liberi.

Orbum non puto Liberis Parentem,
Qui doctam ſobolem Libros dat Orbi.
Libri juréque Liberi vocantur,
Proles à Jove, Pallades cerebri.
Eſt libris Amor ille liberorum,
Soli arcanus hic eſt Patríque notus.
Eſt utriſque eadem paterna Cura,
Ut digni Patre ſint, ut Orbe digni.
In lucémque libri editi requirunt
Hos, qui patris onus ferant, Patronos,
Compatres ſibi Dedicatione.
Longam ex prole Parens ſibi ſpoſpondit
Vitam, ſæpe ſuis licet ſuperſtes.
Vitam pluribus at Libri dedere,
Autori tribuunt perenniorem.
Plutarchus modò vivit, atque vitas
Donavit Latiis ſimúlque Græcis.
Auxit prole Pater Domum vel Urbem,
Ditat prole ſua Eruditus orbem.

A tergo hæc Pater audiens reclamat,
Do noſtros tibi Liberos, Magiſter,
Hi, ſpero, Studio tuo, meóque
Libros ſunt mihi, ſunt tibi daturi.

Nomen. Omen. ex Emam. Theſauro.

Virtus hominúmne? Nominúmne?
Quid refert Annagramma an ominetur,
Cum ſic nomen idem dat omen anceps?
Nomen nobilitans pium Parentem
Gnato degenerante ſordidatur.
Idem Nomine, non Homo ſed idem,
Meſſiæ Pater éſtque Proditórque.

Patria. Patrimonium. &c. Oweni.

Illa mihi Patria eſt, ubi *paſcor* non ubi *naſcor*.
Illa ubi ſum *notus*, non ubi *natus* eram.
Illa mihi *Patria* eſt mihi quæ *Patrimonia* præbet.
Hic, ubicunque habeo quod ſatis eſt habito.

Patria eſt ubicunque bene. Where I doe well, there I dwell.

Præco.

Præco Foro dudum vulgabat juſſa Senatus;
Sola Edicta Dei *Præco Sacerque* Choro.
Diviſum Officium eſt Hominúmque Deíque Miniſtris;
In Præcone Novo Munera juncta juvant.
Ut coram Populo Scelera execranda ſacrentur,
Rite Sacer Præco ſponte Profanus erit.

Rex

Rex. Lex. Grex.

Rex Paſtor, Populus Grex ; hæc Lex optima Regi,
Plebi ſubjectæ Paſtor ut eſſe velit.
Rex, Paſtórque, Gregi ſervit, regnátque; ea Plebi
Optima Lex, Regi ut *Grex Ovium* eſſe velit.

Secus. Secius. Secors. Seculum.

Aurea crede ſequi de ferro ſecula ſecors,
Haud ſecus ac Chymici ex quolibet eſſe volunt:
Secius ex Auro eſt Ferrum, ex hoc ſecula ferri,
Planè aurum propter ferrea ſecla vides.

Situs, Sitis, &c.

Queis mens eſt ſitulas ſitibunda haurire repletas
Doctrinæ, éque Sacro Fonte levare ſitim.
Non latet hiſce Latex, liquet unde Liquor fluit ille
Nectareus, (*a*) Bellus dicitur eſſe Situs ;
Abdita ſcitari à ſcitis myſteria myſtis
Unde datur, niſi ſint ſegnia corda ſitu.
Inſitus hic fugias vitia, & ne Incitia prodat ;
Hic ſitus in ſtudiis progrediare citus.
(*b*) Terna Corona datur, vitæque coronide Quarta ;
Famæ ſiqua fames, (*c*) Quarta Perennis erit.

(*a*) *Belloſitum, Oxonia, à bello ſitu, unde & aliis Calenna.*
(*b*) *Inſignia Academiæ.* (*c*) *cum Lemmate.*

Textum.

Præco *Sacer* gnarus quàm non ſat lata Latina
Lingua, *Sacra* ut teneat, compellat Biblia Textum ;
Textu & ſubtili fusè explicat, applicat illud:
Sed Textor, proprii repetendo Verba peculî,
A Præcone aufert ſua Biblia, Munera, Munus;
Incipit inſipiens præcóxque (*a*) emergere præco.

(*a*) *Sat propriè ſi Textor ex Rebaptizatis unus fuerit.*

Præco obiter per agros peragrans peregre,ut Peregrinus
Atque rudem hunc monitus Textorē ad Templa citatū,
Campanáque ſuâ; Fungum iſtum hoc munere fungi
Indignum reputat ; facit Indignatio verſum.
Tramite perge tuo, ſubtexas ſtamine *tramam*;
Jure tuum *repetens repetas* tu nil niſi *Textum.*

In Linguam vernaculam transferenda in Uſum Textoris.

Textoris Apologia, cum Apologo de Textore & Aranea.

Quæ *mea* ſunt repeto, rerum ſatagóque *mearum.*
An *mea* non ago , cum *fusè explico* & *Applico Textum*?
De Pulmone *meo* vitalis Spiritus auræ
Expſpirat, meus eſt, ſacer ut ſit Spiritus, abſit:
Ventre *meo* Flamen Ventúſque hic ſpirat ab imo;
Verbáque ventoſa hinc *mea*, non cœleſtia ſanè.

Quod

Quod cito Divinum dicunt Textum, & venerandum,
Ast Ego dum recito proprio pro more modóque.
(Qui Modus haud scriptus, nec Ego describere possum)
Incipit esse *meum*, nec adest Veneratio tanta;
Subridéntque Senes, Juvenes lepidéque renident.
Quàm timidè Docti quasi contrectere verentur
Textum! Ego fidenter, privato jure, meóque.
Sermo *meus*, merus, & propriè, quia nil nisi Sermo:
Stamen Subteménque meum, Texturáque tota;
Non doctum sapiunt, non Doctorem, neque nostra
Doctrinam; *mea* sunt, equidem *mea*, sunt mea certè.

Mella legant Alii variis ex Floribus, Ipse
Visceribus propriis mirandum eviscero Textum,
Nativúmque, & quale Soror dat Aranea Textum:
Námque erit Illa mihi semper Soror; & fuit Illa
Me natu major, Textrix prima; Illius Artem
Exemplo monstrante viam Textrina imitata est.

Crevit at hæc Studiis Ars, & Tentamine multo;
Hæc Cerebri soboles; sic Pallas creditur orta,
Pallas inutilibus telis inimica & Arachnæ:
Ast mea de Cerebro non nata est Tela; Sororis
Naturam penitus refero, Fratérque Uterinus
Ex Utero Ipse meo genuinum procreo Textum.
Utile & hoc Textum est, hoc Muscas capto vagantes,
(Tale vagum, incautum, genus atque volatile Vulgus)
Visceribus nostris id debent, quod capiantur,
Visceribus referunt hæ Muscæ Pabula nostris:

Inde

Inde aliam telam, sed eandem, texo, retexo.
Non subtile quidem, tenue est exíléque Filum.
Non quenquam vestit Tela, & Caro Virus habetur:
At mihi vivo tamen, Magnates sic quoque vivunt;
His Præda est major, mihi sufficit unica Musca;
Pro captu capto; satis hoc majora volenti;
Quot cupiunt, ô quot capiunt mea viscera Muscas!
Viscere, queis debet stupidè quod Vulgus adorat;
Viscera, queis solis mea debeo, & Ipse Meipsum.

Ventri & Visceribus nec solùm consulo, Lucri
Non tantus captator Ego, sed Gloria calcar,
Sit licèt illa levis, stimulavit humillima corda.
Quàm pulchrum est Digito monstrari, & dicier, Hic est!
Hic est quem teneris Schola nunquam vidit ab annis!
Hic est, sola cui quæ Nutrix Fæmina Doctrix!
Hic est qui Libros non legit, vix legit Ille!
Hic de Plebe tamen Socios supereminet omnes!
Hic est, Vulgus hians cujus nunc pendet ab ore!
Hic certamen init cum Pallade & ejus Alumnis!
Hic etiam exclusis Doctis Titulóque Magistris,
Pulpita conscendens illa se jactat in Aula!
Et loquitur quæ Nemo capit, non Oedipus alter!

Sicut in Orbe Novo Lunæ Novus est quoque Sermo,
Nam Gentem hanc aiunt pro vocibus edere Cantus;
Sic nostro Orbe novo Capita & Lunatica Linguas
Non dant absimiles; Incantamenta loquendi
Nostra vias tritas superant Rationis, & omnem

Communis

Communis Sensûs complexum; non capit illa
Vulgus, non Docti, non Nosmet denique nostra;
Nescio quo instinctu, nos quóve agitante Furore.
Haud aliter doctos mea tendit Aranea Casses,
Artis Opus miræ, nullo dictante Magistro;
Quonam Consilio hos orditur nescia fari,
Nescia quàm doctè, vel cur sic conficit illos,
Mentis inops propriæ, regitur quia Mente superna.

At ventura Dies, precibùsque rogata malignis
Speratur, Scopa ut converrat Retia nostra,
Sordibus immiscens; cum Nos pede proterat ipsos
Vulgus (quis credat ?) mirans nos, Vulgus adorans.
Cum nos magnificis Rostris, vetreísque Fenestris
Deturbet Vulgus, cum nos Laquearibus aurêis;
Et mandet quémque & cognata ad munia damnet;
In veteris metas constringens Sortis & Artis.

Palladis hoc Votum est Pueris, scio; Pallas iniqua;
Et Nobis Pueri; Nobísque Agnomina figunt.
His indoctus Ego Doctor, Doctórque priusquam
Discipulus. Fateor, quid magnum hoc? anne quid ultra?
Telam ultra Textor, Textum ultra Præco. Quid ultra?
Dux cæcus cæcorum; ἀλλοτριεπίσκοπος, atque
Ardelio Magnus; natum cœlísque duobus
Amphibion; duplici victum qui quærit ab Arte,
Quando in utráque rudis; sacer Histrio, Simia, Mimus:
Anseribus cantans, Cygnísque tacentibus, Anser:
Famosus sed in Antipodum Regine Propheta,

Vana

Vana ubi pro veris ex vero prodita Verba:
Monſtrum & in Æde Sacra monſtrandum, deniq; Vulgi
Idolum Sacrum, Sapientum Ludibriúmque.

Neſcio an his Titulis decorent nos, an dehoneſtent;
Neſcio concordant ut tam contraria, & aiunt
Per Nos illa in ſe pugnantia conciliari:
Nomina & hæc vocitant *Textoris Epitheta*, nempe
E Libro ignoto nobis, (nihil Hi ſine Libro.)
Suſpicor, hos nec poſſe reor benidicere nobis.
Palladis ô Pueri, Pueri, vos eſtis, & eſtis,
O nequam, nequam, nequeo ſat dicere nequam!

Sic explicat Textor.

Viciæ. Vicus. Viciſſitudo. Neceſſitudo.

Alterna venit ex Neceſſitate
Inter congeneres Neceſſitudo.
Vicus non facit, indigentiarum
Vicinos facit at Viciſſitudo.
Vicinos faciunt Vices egendi.
Hortenſes Viciæ hunc docent Amorem;
Mirum quas ibi Complicationes!
Quos nexus video tenaciores!
Ut ſe ſuſtineántque ſingularum
Cunctæ fortiùs imbecillitate.
Rerum eſt Fibula mutuum Neceſſe.
Quos non unica Charitas adunat,

Partitur

Partitur Deus his Necessitates,
Ut sit diligere invicem Necesse.
Vult, quando Deus est amans, Amorem
Nobis pluribus alligare Nodis.

Ultra. Ultro. Ultro citróque.

Gnaviter absolvit pensum studiosus; & ultro
(Sponte sua) injussis studiis incumbit; & ultra,
(Insuper) ulteriora petens, atque ultima laudis:
Hunc omnes celebrant ultro citróque meantes.

Plus ultra.

Δόξα τῷ Θεῷ ἐις ἀιῶνας.
Ἀμὴν.



FINIS.

